

www.e-rara.ch

**Joh. Henrici Heideggeri rashe-avot, Sive De Historia Sacra Patriarcharum
Exercitationes Selectæ**

Heidegger, Hans Heinrich

Tiguri, MD CC XXIX

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: III F 88

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-94552>

Exercitatio tertia de Abrahamo.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

unctus super Tſion montem Sanctum Dei Psal. II. 6. *Rex Justitia*, quia causa illius Justitiæ, propter quam credentes justificantur. Jehova enim, Christus nostra justitia est, Jerem. XXIII. 5. 6. 1. Cor. I. 30. Unde Regnum ejus Regnum est justitiæ quippe cujus cives justī sunt. *Rex Pacis* est seu *Princeps Pacis* teste Esaj. IX. 6. Is nempe stabilivit pacem tum eam, qua cum Deo Patre reconciliantur fideles omnes: tum specialiter eam, quam fecit in sanguine suo rupto discrimine gentium Ephes. II. 14. 17. Quia enim Christus hæres est & dominus omnium, idcirco non potest in ejus regno manere repagulum illud, quo gentes olim à promissione, justitiæ & populo Dei excludebantur. Melchisedecus fuit *ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος*, sine Patre, sine Matre, sine Genealogia. Sic & Christus est sine Patre, quatenus filius hominis: sine Matre, quatenus filius Dei: sine Genealogia, quia in Sacerdotio nullius successor fuit, nec successorem ipse habuit. Quæ comparatio fortassis etiam rectius ita instituetur, ut dicatur Christus *ἀπάτωρ, ἀμήτωρ*, quia non Patre Sacerdote, vel Matre Sacerdotis conjugē natus. Melchisedecus neque initium dierum neque finem vitæ habuit, atque ita mansit Sacerdos in perpetuum. Id *ἄλογον ἀληθείας* non convenit nisi filio Dei, qui nec initium dierum nec finem vitæ, utpote Sacerdos, habet, & verè Sacerdos est apud Patrem. Melchisedecus major fuit Abrahamo, quem juxta cum filiis Levi in ejusdem lumbis decimavit, & benedictione sua beavit. Sic & Christus Dominus est Abrahami, cujus adeò gratia & dignitas Sacerdotii causa est benedictionis Abrahami. Melchisedecus Sacerdos non duxit familiam ex majoribus Levi & Aharonis, adeoque Sacerdotium ejus non fuit juxta ordinem Aharonis. Sic nec Christus Sacerdos familiam duxit ex tribu Levi & Aharonis, sed Judæ, cui nihil de Sacerdotio dictum. Unde sequitur, Sacerdotio ejus secundum ordinem Melchisedeci instituto, perimi illud Leviticum, quòd à Deo per ministerium Moſis institutum fuit *μέχρι καιρῶ διορθώσεως ad tempus usque correctionis*.

EXERCITATIO TERTIA

DE

ABRAHAMO.

Breviarium.

Transitus ad historiam Abrahami. Cur primò אַבְרָם Abram, postea Abraham nuncupatus fuerit? Veterum Hebræorum de eo sententia & quaesitum mysterium multiplex Cabalistarum. Philonis, Chryſostomi, Hesychii, Isidori error notatus. 1. Nominis שַׂרַי Sarai mutatio in שָׂרָה Sara quam ob causam facta? Sententia Hieronymi & Augustini de eo examinata? 2. Sara genealogia discutitur. An fuerit eadem cum יִסְכָּרָה Fisca, filia Haranis, adeoque neptis Abrahami? 3. 4. Patria Abrahami אֹר כְּנַעַן Vr Casdim, an rectè à LXX. I. reddatur Ἰσραὴλ καλδαίως? Isacus Vossius refellitur. Vr Casdim cur vocetur ab Eupolemo Camarine? כְּנַעַן. Ostenditur כְּנַעַן esse nomen

nomen appellativum Magorum. *Vra gemina Babylonia, & Mesopotamia distinguitur, & hanc, non illam esse Patriam Abrahami docetur. Babylonia pars magna olim Mesopotamiae tributa fuit. Usserii Armachani sententia de Vra improbata. 5. Abrahami vocatio ex Vre Chaldaeorum. An verba Dei Genes. XII. 1. 2. 3. Abrahamo dicta sint adhuc existenti in Chaldaea? Geminae vocationis commentum elisum. Boulducus notatus. 6. Quam ob causam Abrahamus iussus fuerit ex Chaldaea discedere? Boulduci error, quod propter solam conversionem Cananeorum in eam terram missus fuerit. 7. Promissio Dei facta Abrahamo Genes. XII. 2. 3. explicatur. Justificationem gentium per fidem, & promissionem Christi in ea contineri probatur. 8. Abrahami obsequium & fides predicata. Grotii παρασημαστικὰ loci Hebr. XI. 8. 9. 10. detegitur. Patria, quam quassivisse dicitur Abrahamus, Caelum fuit. 9. Terra ad quam migrare iussus Abraham, an ei cognita fuerit? Locus Genes. XI. 31. cum Genes. XII. 1. & Hebr. XI. 8. conciliatus. 10. Adventus Abrahami in Charan. Ejus urbis situs. Cur Plinius inter oppida Arabiae, Lucanus Assyriae numeret? Quo sensu animas fecisse Charane dicatur? Hebraeorum de factis Charane profelythis, & Boulduci de quibusdam ibidem religiose sodalitati initiatis signum rejicitur. 12. Quamdiu Abraham Charane manserit? Petavii, Bonfrerii, & Harvillei argumenta, quod aliquot annos ibi manserit, expenduntur. 13. An nova vocatione Charane excitus fuerit? Usserii & Saliani pro iterata vocatione argumenta examinantur. 14. An Charane in Canaan migrans substituerit Damasci, & ibidem regnaverit? Josephus & Boulducus id asserentes refutati. 15. Adventus Abrahami in Canaan. Prima ejus statio circa Sichem & Elon Moreh. Sichem ubi sita? Quid Elon Moreh? Ejus situs. Elon est Aulon Hieronymi. 16. Apparitio Dei secunda facta Abrahamo in Elon Moreh. Quomodo Deum viderit? Ex visionibus Dei non sequi, quod pingi possit in ea specie, in qua apparuit, ostenditur contra Bellarminum. 17. Fides & gratitudo Abrahami post factam sibi promissionem. 18. Secunda Abrahami statio in montanis Betheli occidentalibus. Situs urbis Bethel & Hai. Toftatus & Mercator, qui montana ista faciunt montem Garizim & Hebal, refutantur. 19. Mysterium habitationis Patriarcharum in tabernaculis. An occidentem versus adoraverit Abraham? Grotius notatus. 20. Abrahami profectio in meridiem. נגב. Quid הלך נסוע? 21. Profectio ejus in Aegyptum ob famem. Josephi maligna narratio de ejus profectiois fine. An Aegyptios docuerit Astrologiam. 22. Herodoti, Strabonis, Ephori, Plinii, aliorumque error, quod Aegyptus post Homeri aetatem fluminis limo invecata sit; nec non sententia Arabum, quod Aegyptus ante diluvium habitata sit sub notis Regibus perstringitur. 23. Raptus Sarae*

in Ægypto. Reditus Abrahami in terram Canaan. Contentio Pastorum Abrahami & Lothi, ac pacifica utriusque transactio. Quæ fuerit terra Canaan, contradistincta Pentapoli, in qua post discessum Lothi habitavit Abraham? 24. Consuetudo, ut major dividat, minor eligat, ex hac Abrahamum inter & Lothum transactione ortum duxit. Abrahami equitas & humilitas, ex Chrysostomo & Ambrosio commendata. Lothi inhumanitas & intemperantia 25. Tertia Dei apparatus facta Abrahamo. Quomodo Deus totam terram Canaan demonstraverit Abrahamo? Quo sensu promittat possessionem terræ Canaan in seculum? 26. Profectio Abrahami in Elone Mamre. Quid יהלל Genes. XIII. 18. Elon Mamre situs. 27. Abraham in Elon Mamre edificat altare. Ibidem inicit fœdus cum tribus Principibus Hebronis. Fœdus illud fueritne religiosum an civile? Boulducus refellitur. Bellum Abrahami cum exteris Regibus. 28. Quarta Dei apparatus facta Abrahamo in Elon Mamre. Oratio Dei, quâ ipsum adversus metum quemvis confirmat, explicatur. 29. Abraham promissam mercedem detrectat, eò quòd careat heredibus suis. Quid בן משק בית? Quid דמשק? Quis fuerit Dameschek Elieser? Boulduci & Hebræorum fabula. 30. An Abraham detrectans mercedem peccaverit diffidentia. 31. Promissio Dei de semine nascituro Abrahæ ventilatur. Quo sensu innumerabiles sint stelle? Semen promissum Abrahæ fueritne carnale tantum, an etiam spirituale? 32. Explicantur verba Moysis: האמין ליחורה ויחשבה לו צרקה Genes. XV. 6. Fidem illam Abrahami tetendisse in Christum semen benedictum, demonstratur. 33. Quo sensu fides Abrahamo sit imputata ad justitiam? Interpretis Arabis, Hebræorum, Origenis, Socini, Papistarum explicatio perversa eliditur, & justificatio fidei sine operibus stabilitur. 34. Argumenta tria orthodoxæ explanationi opposita solvuntur. Significatus verborum λογίζεσθαι & חשב. Similitudo à mercatoribus petita explicatur. 35. Signum promissioni additum. An peccaverit Abrahamus illud sollicitando? Farchii, Ruperti, Cajetani Chrysostomi, Augustini sententia examinatur. 36. Materia signi illius explicatur. An משלשה notet triplicem an trimum? Onkelosus & Farchius refelluntur. על non semper notare bovem anniculum. Cur animalia illa trima esse Deus voluerit? Vox נוול non columbam, sed pulum turturis notat. 37. Abrahami vigilantia circa cadavera. 38. Oratio Dei ad Abrahamum de iis, quæ semini ejus eventura, explicatur. Quo sensu nondum impleta dicatur iniquitas Amorhæorum? 39. Transitus Dei & populi Israelitici per διχοτομίατα animalium. Ritus fœderalis mactandi animalia, & per segmenta eorum transeundi exponitur. 40. Fœdus Dei cum Abrahamo. Flumen Ægypti an denotet Nilum? Nilus à נחל derivatur. Nilus, שיחר, μέλας, Melo cur nominetur? 41. An impleta sit promissio facta

facta Abrahamo de possidenda terra à flumine Egypti usque ad Euphratem? 42. Quomodo decem gentes promittantur Abrahamo, cum septem tantum subjugata sint? Judæorum & Christianorum de Cineis, Cenezæis, & Cadmonæis sententia. 43. Signi antea expositi cum promissione & fœdere hoc analogia. 44. Hagara & Ismaëlis exilium. 45. Fœdus Abrahamicum, ejusque signum circumcisio. 46. Excidium Sodoma Abrahamo denuntiatum. 47. Abrahami migratio in Gerar. Raptus Sara. 48. Nativitas Isaci. Hagara & Ismaëlis exilium. 49. Fœdus Abrahami cum Abimelecho. Picol quis fuerit? Beerscheba cur sic dicta? Quo sensu Genes. XXVI. 33. Isacus Beerscheba nomen imposuisse dicatur? 50. Fœdus Abrahami cum Rege infideli an pium fuerit? 51. Plantatio nemoris in Beerscheba. Quid sit אש? 52. An Abrahamus lucum religionis causa plantans peccaverit? אש, אלה, Lucus unde dictus? Locus Deut. XVI. 26. explicatur. 53. Tentatio Abrahami. 54. Mors Sara. Quæ causa ejus fuerit? Hebræi & Eutychius refelluntur. 55. Abraham plangit Saram. Unde venerit ad planctum. 56. An in planctu jejunaverit & oraverit pro defuncta? Bellarminus refutatur. 57. Abrahami oratio ad Chetæos pro jure sepulchri. Quo sensu is vocetur נשיא אלהים? Supplicatio ejusdem pro spelunca Macpela. Quid fuerit spelunca מוכפלה? Hebræorum & Salmasii conjectura examinantur. 58. Spelunca Macpela ab Ephrone Abrahamo vendita. An sepulchrum Abrahamus emere, vel Ephron vendere potuerit citra crimen Simoniæ? 59. Abligatio servi in Mesopotamiam ad querendam Isaco uxorem. Cur Chananaeam uxorem filio desponderi noluerit Abraham? Ritus jurandi supposita manu femori explicatus. Sententia de eo Hebræorum & Christianorum Patrum ventilatur. Abenezra & Grotii de eo conjectura. 60. Matrimonium Abrahami cum Cethura. Fueritne Cethura ipsa Hagar? 61. Cur Abrahamus senex & capularis ad nova vota transierit? 62. Cethura Abrahami פילגש. Quæ differentia olim fuerit uxorem inter & concubinam? 63. Abrahamus, cujus corpus jam pridem emortuum ab Apostolo dicitur, qui liberos ex Cethura generare potuerit? 64. Abrahamus morti vicinus Isacum instituit heredem, reliquis filiis dat munera. Quid per מתנות intelligendum? Rabbīnorum impia de iis muneribus sententia. Quid שם טובה? Filii Cethuræ quas regiones Orientales petierint? Josephus & Hieronymus refelluntur. An Homeritæ sint iidem cum Sabæis ex Abrahamo oriundis? 65. Mors Abrahami. Quo sensu dicatur גוע ומת? Quid שיבה טובה? 66. An moribundus benedixit Isaco? Boulduci audax assertio. 67. Sepultura Abrahæ. Quo sensu dicatur aggregatus ad populum suum? Augustinus cum extra limbum collocans in cælo vindicator. 68. Sinus Abrahæ. 69. Hebræo-

rum & Muhammedanorum de Abrahamo traditiones ἀγγελ. 70. Pseudepigraphia ei tributa, liber Jezira, Apocalypsis Abrahae, Assumptio Abrahae. 71. Vetusissimorum Scriptorum Gentilium, Berosi, Hecataei, Nicolai Damasceni, Eupolemi, Artapani, Molonis, Orphei, Theodori, Philonis Biblii, de Abrahamo testimonia recitantur. Abrahamum cultum esse à Gentilibus in Saturno, & Saram in Anobret conjuge Saturni ostenditur. 72.

I.



Diverticulo, in quo nos difficilima de Melchisedeco disceptatio continuit, redimus in viam. ABRAHAMUS Thærachi soboles Patriarcharum eminentissimus, cujus historiam cum cura nobis delineavit Moses, primus occurrit. Primò dictus est אַבְרָם Abram. Cum verò Jehova nato annos nonaginta novem appareret, & amplissimam illam promissionem, quòd Pater futurus sit multarum gentium, ei confirmaret, simul nomen ipsius Abram mutavit in אַבְרָהָם Abraham. De eo ita habent verba Dei: וְהָיָה שִׁמְךָ אַבְרָהָם כִּי אִבְרָהָם אָבִי הָיָה לְכָל הָעוֹלָם. Neque vocabitur ultra nomen tuum Abram, sed erit nomen tuum Abraham: quia Patrem multitudinis gentium posui te. Genes. XVII. 5. Prius igitur nomen Abram ei inditum à Parente Thæracho: Posterius Abraham ab ipso Deo. Quæ utriusque hujus nominis ratio fuerit, quæritur. In Massæceth Bikurim Hierosolymitano, cap. Jesch. mebyn veterum Hebræorum de eo sententia recitatur hisce verbis: בְּתַחֲלָה הָיָה לְאָרָם וְשֵׁמוֹ אַבְרָם וּלְבָטוֹרָה אִבְרָם לְכָל הָעוֹלָם. In Principio fuit Pater Abram (Syrorum) ad extremum verò Pater totius seculi. Sed & Hieronymus in Quæst. Hebr. animadvertit, notare Hebræos veteres, nomini Abrahamæ & Saræ additam literam ה quæ est præcipua in nomine Dei tetragrammato, & in eo bis reperitur. Atque hinc varia mysteria arguti homines eliciuere, qualia sunt: quod Abrahamo & Saræ eorumque similibus viris Sanctis Deus non modò bona sua, sed etiam seipsum sit communicaturus; quòd ex Abrahamo & Sara nasciturus sit, qui Deus esset, & forte sub quinti millenarii annorum ab orbe condito initium, eò quòd litera ה apud Hebræos quinarium numerum denotet. Sed & mysterium S. S. Trinitatis veterum Hebræorum Cabalam seu secretiore disciplinam in eo nomine venatam esse, eruditi, nominatim Capnio, & Faber, aliique notant. Ita enim tre literas אבֿרֿהֿ initials esse אבֿ Patris, בֿנֿ Filii, & רוּחֿ Spiritus S. Porro הֿ literam quartam in Abrahami nomine designare posse essentiam Divinam tribus personis communem, eò quòd litera הֿ sit prima & ultima in voce הָיָה à qua velut radice nomen Dei tetragrammaton descendit. Denique literam finalem מֿ indigitare מְשִׁיחַ Messiam seu Christum, Salvatorem mundi. Nicolaus Abramum Vir cæteroquin non indoctus, in Pharo V. T. lib. 7. plura ejusmodi mysteria per notas illas Cabalæ Hebraicæ species, quas Rabbini hac dictiuncula גְּמַתְרִיָּה Gemath, indicarunt, puta Gematriam, Notaricon & Themuram, extundere conantur. Nos missis illis Cabalistarum ad calculos omnia revocantium, atque in tenebris, quòd ajunt, micantium argutiis, mysterium non invehendum in textum, sed potius ex eo eruendum putamus. Igitur à Thæracho dictus est אַבְרָם Abram, hoc est, vel Pater Abram seu Syrorum, uti veteres Thalmudistæ censuerunt: vel אֲבִירֵם אֲבִירֵם אֲבִירֵם, Pater excellens, uti Philo de Gig. pag. 292. & Augustinus de Civ. Dei XVI. 28. ariolantur. Hoc nomen Deus immutavit, addita litera הֿ non ex tetragrammato, sed ex voce הַמֶּן multitudo, uti ipse textus indicat: Proinde אַבְרָהָם notat אֲבִירֵם הַמֶּן Patrem magnæ multitudinis, ex voce רַב extrita הֿ & ex voce הַמֶּן litera finali הֿ. Quia igitur magnam hominum ex Abrahamo multitudinem generatum iri Deus promiserat, non Abram amplius, sed Abraham eum dici voluit. Philo l. c. prodit linguæ sanctæ inscitiam, asserens, quòd Abraham notet πατέρα ἐκλεκτὸν ἡγεῖς Patrem electum soni: & ineptit Hesychius, vocem אַבְרָם interpretatus νεφελεῖον, transitoriam, quem errorem etiam Chrysostomus erravit. Confuderunt

nempe

nempe illi אַבְרָם cum עברי quod πατρις non ineptè redditur. Neque minùs abludit à verò Ifidorus Orig. VI. 7. ubi Abram interpretatur Patrem videntem populum, propter Israelitas.

II. Uxori Abrahæ nomen à Parentibus inditum fuit שָׂרַי Sarai. Cæterum etiam illud Deus mutavit in שָׂרָה Sarah Genef. XVII. 15. שָׂרַי כִּי שָׂרָה שָׂמָה Sarai uxoris tue nomen non vocabis Sarai, sed Sarah erit nomen ejus. Meritò ridet S. Hieronymus in Quæst. Hebr. eos, qui nomen Sara commutatum putant additione unius literæ r ejusque in medio geminatione, quasi ex Sara dicta sit Sarra. Qua in re nescio quod mysterium illi aucupantur. Verùm persuasio ea nata est ex corruptis LXX. Interpretibus, qui non aliam hujus nominis mutationem præferunt. Ipse autem Hieronymus, Sarai, inquit, interpretatur Princeps mea: Sara verò Princeps; quod antea Princeps esset solius Abrahæ; Deinde Princeps gentium. Unde apparet, non corruptis Græcis, sed Hebræis codicibus Hieronymum adhæsisse. Rectè Sarai dictam esse שָׂרָה seu Principem notat S. Pater. Congruum enim cum eo quod sequitur v. 16. ubi Deus Saræ promittit Filium, ex quo Reges populorum exoritur sint. Jure princeps fœmina nuncupata est, ex qua exoritur tot Reges & Populi. Cæterum quod de nomine Sarai Hieronymus scribit, non perinde certum est. Nam Princeps mea Hebraicè dicitur שָׂרָה vel facta syncope שָׂרַי non שָׂרַי Sarai. De nomine igitur Sarai vix quidquam certi apparere puto.

Non parum verò aberravit S. Augustinus de Civ. Dei. XVI. 28. ita scribens: Sarai interpretatur Princeps mea: Sara autem virtus: unde scriptum est in Epistola ad Hebræos: Fide & ipsa Sara virtutem accepit ad emissionem seminis. At διωγαμὸς Hebraicè כוּחַ הַיָּל אֵל nunquam שָׂרָה dicitur. Mala ergo interpretatio est, & pejor accommodatio loci ad Hebræos. Lulus Cabbalisticos Nicolai Abrami circa nomen Saræ penſi non facimus.

III. Porrò de Sara exploratum non est, quâ profapia, quibus parentibus orta sit. Magno quidem consensu docent Hebræi tum veteres, tum recentiores, Saram fuisse eam ipsam, quæ Genef. XI. 29. vocatur יִסְכָּה Ischah, filia Haranis, Fratris Abrahæ. Ita Aben Ezra: שָׂרָה הִיא שִׁיכָה וְקִדְמוֹנֵינוּ אָמְרוּ שִׁיכָה הִיא שָׂרָה Et veteres nostri dixerunt quòd Sara sit Isca. Ita sanè Josephus & Paraphrasis Uzielidi tributa. In Baal Hathurim dicunt, שָׂרָה per literarum commutationem seu אתבש esse בגן בוגן Porro בגן בוגן per Gematriam idem esse cum יִסְכָּה quia utrumque in numeris efficit 95. De eo vide sis Drusium Miscell. I. 22. nec non Doctissimum Glassium Philol. S. 401. 402. aliosque, quos ibidem ille laudat, Reuchlinum, Sixtum Senensem, Schikhardum. Hinc cum Genef. XX. 12. Abraham uxorem suam vocat sororem suam, quippe Filiam Patris sui, non autem filiam matris suæ, Hebræi colligunt, Saram esse Iscam. Haranem nempe ex altera matre natum esse dicunt ante Abrahamum. Itaque Patris sui Thærachi ex Harane filiam, hoc est, more loquendi apud Hebræos recepto, neptem esse Saram, quæ alia esse non possit quàm Isca. Sic Lothum fratrem suum appellat Abraham Genef. XIII. 8. quem constat fratrem non fuisse, sed ex eodem Harane nepotem. Consentiunt Augustinus de Civ. Dei. XII. 19. Hieronymus contra Helvidium, Chrysostomus, Rivetus, Junius, Tarnovius, ex Papiſtis Lyranus, Tostatus, Pererius, Delrio, à Lapide, Sa, Tornielius, Saliarius, Bonfrerius, Genebæardus, alii. Dissentiunt tamen plures asserentes, Saram omninò genuinam fuisse sororem Abrahami, eodem Patre, sed non eadem matre genitam. Quomodo Genef. XX. 12. Abraham ipse dicit: גם אִמְנָה אַחֲתִי בַת אָבִי הִיא אֵךְ לֹא בַת אָמִי Verè soror mea est, filia Patris mei ipsa: veruntamen non est filia matris mee. Unde Glossa Jarchii ad verba illa Abrahæ de sororis nomine: בַּת אָב מוֹתֶרֶת לְבֵן נוֹה שְׂאֵן אִבּוֹת לְגוֹי Filia Patris (soror, non uterina) jure conjugebatur Noachidi, quoniam inter Gentes ratio consanguinitatis paternæ non habebatur. Ita Clemens Alexandrinus Strom. lib. 2. p. m. 421. ubi etiam hinc colligit, τὰς ὀμωμυτείας quidem seu uterinas sorores non posse uxores duci: at posse τὰς ὀμοπατείας, seu sorores duntaxat, seu eodem Patre non matre genitas. Eandem sen-

tentiam tuentur Hieronymus, quasi corrigens priorem sententiam, ad Genes. XX. 12. Cajetanus, Lipomannus, Hieronymus ab Oleastro, Sotus, Codomannus, Musculus, Piscator, alii. Quin Tharæ uxoris, quæ Abrahamæ mater, & ejus, quæ Saræ mater, nomina habentur apud Patricidem Scriptorem Arabicum antiquum in Annalibus pag. 66. ubi Abrahamæ matri, priori Thærachi uxori fuisse nomen יִנָּה *Jona*, Saræ verò matri, posteriori Thærachi uxori תֵּבֵבִיטָה *Tebevittha*. Hermannus Dalmata verò lib. de *Generatione & Nutritura Muhamet*, ex veteribus Muhammedanorum monumentis Abrahami matri nomen fuisse *Ibicilne* elicit.

IV. Utraque sententia non exiguum habet incommodum. Sive enim Sara fuit ex fratre Harane neptis, sive soror non uterina quidem, sed soror tamen eodem Patre nata, contra legem Divinam incesti reus fuisse videtur. Frivolum enim est, quòd Jarchius, & post eum Cajetanus asserunt, ante Legem solo naturali lumine licitas fuisse nuptias cum sorore non uterina. Quippe Lex Divina Levit. XVIII. 9. 11. lata, & cum naturali Lege planè congrua ejusmodi discrimen non innuit. Unde Bellarminus ipse Cajetanum refellit, de matrim. cap. 28. Neque etiam recipiendum, quod Canonistæ, alique Pontificii pertendunt, matrimonium quidem filii fratris cum amita prohiberi Divina Lege Levit. XX. 19. 20. at non prohiberi eadem matrimonium filiae fratris cum patruo. Eadem enim utrobique est ratio proximitatis sanguinis & honestatis. Et prohibitiones Mosaicæ non tantùm personas expressè nominatas, sed etiam gradus æquè distantes complecti, neque in prohibitionibus illis inter sexum masculinum & fœmininum differentiam ullam intercedere, notorium est. Hæc incommoda ut evitarent nonnulli, verba Abrahami dicentis, *Saram esse sororem suam, Patris non matris filiam*, intelligunt de filiatione non ratione generationis, sed vel adoptionis, vel affinitatis, ut Sara fuerit filia Thærachi, quæ erat privigna Haranis, & à Thæracho adoptata. Ita Lutherus. Sed durum omnino est fingere, Saram fuisse privignam Haranis, & matrem ejus viduam relictam vixisse apud focerum, ejusque filiam à Thæracho adoptatam fuisse. Alterutrum igitur dicendum, Saram fuisse vel sororem veram Abrahami, at non uterinam, vel ex fratre Harane neptem, adeoque ipsam Iiscam. Etsi verò utraque sententia rationibus probabilibus nitatur, tamen eam verisimiliorem existimo, quæ Saram facit Abrahami sororem, sed non uterinam, adeoque à Iisca diversam. Etenim *primò* ratio nulla afferri potest, cur eodem loco Genes. XI. 29. 30. Iisca distingueretur à Sara, sine ulla tamen mentione, quòd Sara & Iisca eadem sed binominis fuerit. Dilutum est, quod excipit Jarchius, inde cognosci posse, quòd eodem loco Iisca & Sara una eademque fœmina fuerit, quia utrumque nomen idem significet. Sicut enim שָׂרָי *Principatum* notat, ita יִסְכָּרָה ex significatione נְסִיכָרָה *principatum* notare. Neque enim in nominibus propriis Scriptura hoc modo ludere solet. *Secundò* cum dicit Abraham: *Verè soror mea est; Patris sed non matris filia*; satis indicat, veram & genuinam sororem fuisse. Si ex fratre neptis fuit, quid attinebat adjicere illa, quòd Patris non Matris filia seu neptis fuerit? Annon potius palam se explicasset, filiam esse fratris Haranis, quæ Hebraica dialecto etiam soror nuncupetur? Quòd verò Scriptura Saram vocat Genes. XI. 31. בְּלָחוּ *nurum ejus* Thærachi, non *filiam*, cum filia patri propius conjuncta sit quàm nurus, inde est, quia Abrahamo jam nuptum data, à marito potius quàm à Patre designari debuit. Neque illud obstat, quòd sic incesti reus paragatur Abraham. Nam ex altera sententia idem consequitur. Non habuit Abraham legem scriptam, & naturalis facilè obsolescere potuit, à scripta non adjuta. Accessit zelus Patriarcharum, qui ut alienigenarum nuptias evitarent, maluerunt ex sua familia etiam propius conjunctas ducere.

V. Abrahamo & Saræ prima habitatio fuit בְּאֵר כַּשְׂדִּים *In Ur Casdim, seu Ur Chaldeorum*. Genes. XI. 28. LXX. Seniores habent Χαλδαίων *Regionem Chaldeorum*, nomen proprium in significativum transferentes. Quo nomine quia reprehenduntur, acriter eos vindicare conatus est Isaac Vossius de Translatione LXX. Interpretum.

tum p. 36. 37. Nempe *Χώσεν* nomen proprium esse, significativum, idemque quod *ωρ* vel *δωρ* pertendit. Quomodo non apud Græcos tantum, sed & apud Arabes & Syrios *ω* *χ* in multis vocabulis initio aut deest aut adest. Sic atramitæ Chatramitæ, Aboras Chaboras, Aron Charon &c. Pari ratione olim & *אור* & *חור* scriptum videri, sed posterius lubentiùs amplexos videri Judæos, quòd id favere videbatur fabellæ, quam de Harane & Abrahamo commenti sunt. Paulò post ex Eupolemo, qui oppidum hoc vocet *δουλιω* vel *δουλιω*, liquere ait, sic quoque fuisse olim in quibusdam S. Translationis exemplaribus. Quòd si igitur in antiquis exemplaribus scriptum est *δουρη*, sequetur vocem *Χώσεν*, quam hodie magno consensu habent codices, corruptam esse. An enim simul scripserunt *Χώσεν* & *δουλιω*? Deinde quis veterum *Uram* vocavit *χωρ*, vel *ωρ*? si *πωχ* addere placuisset Græcis, utique *Χώσεν* non *Χώσεν* scripsissent, ut congrueret cum Hebraico. Teneamus igitur, Græcam versionem hîc omnino erroneam esse, & *Ur* esse nomen proprium loci. Et Eupolemus quidem apud Euseb. de Præp. lib. 9. *Uram* vel *Uriam*, ut appellat, ponit in Babylonia. *εν πόλει*, inquit, *τῆ βαβυλωνίας Καμαρίνη, ἧν τινες λέγουσιν πόλιν δουλιω*, in urbe Babyloniæ Camarina, quam quidam Uriam appellant. Camarinæ nomine cur eadem urbs venerit, docet nos Scaliger Not. in Frag. p. 11. quia nimirum in ea erant *כמריני* Sacerdotes, seu Philosophi. Nempe Sacerdotes & Philosophos Hebræi *כמרים* Chaldæi *כומרי* vocabant. *Cemarin* enim vocabulum Atratos significans, idololatricos Sacerdotes pullis vestibus incedentes denotat. Sacerdotes autem apud Chaldæos, uti etiam apud Ægyptios, astrologiæ judicariæ præcipuè vacabant, quam Chaldæorum Astrologorum nationem in Babylonia ad Mesopotamiam pertinente, collocatam fuisse, notat doctissimus Camerarius Not. ad Act. VII. Et sanè tempore Abrahami Chaldæam habitatum fuisse negant Hebræi, eò quòd à Cefed Nachoris filio originem deduxerint, uti liquet ex Gen. XXII. 22. Et Aben-Ezra quidem Ur Chaldæorum per anticipationem dictam putat. Verùm ipse Deus ad Abrahamum dixisse à Mose refertur: *Ego Dominus, qui te eduçi de Ure Chaldæorum*. Genes. XV. 7. Proinde assentior doctissimo Uferio, qui hic vocabulum *כטרים* non tam esse proprium gentis, quàm appellativum, hariolos & Magos denotans, putat. Ita eo nomine in ipsa etiam Chaldæa Genethliaci à reliquis magis distincti reperiuntur Daniel. II. 2. 20. IV. 7. & V. 11. Et ex eorum consortio Thærachus & filii ejus idolorum cultum didicisse videntur. Eos à *כטרים* denominatos Hebræi putant, quòd opera dæmonum Divinationes suas perficiant. Meminit etiam Uræ Plinius lib. V. 24. ubi Euphratem ferri scribit usque Uram, locum, in quo conversus ad Orientem relinquat Syriæ Palmyrenas solitudines. Cæterum alia est etiam Ur in Mesopotamia in via è Tigri Nisibin, cujus sub nomine *Castelli Ur* meminit Ammianus Marcellinus lib. XXV. 26. Atque in hac Ur omnino Abrahamus confedissee videtur, non in illa, cujus meminere Eupolemus & Plinius. Nam ex ea potius Ur, quàm ex illa Babyloniæ in Judæam via recta est per Charan. Unde Jos. XXIV. 2. Abrahamæ Pater Thare dicitur habitasse trans flumen *מעורי* jam olim, & ibi serviisse Diis alienis. At Babyloniæ pars, in qua est Ura Eupolemi, respectu Cananæ, non trans, sed citra Euphratem sita est. Frivola sunt, quæ afferuntur à Gerundensi, quem & Babye sequitur, asserente Patriam Abrahami fuisse Aram, civitatem natalem Haran. Thærachum autem cum Abrahamo ante nativatem Haranis venisse habitatum in terram Chaldæorum, ibique natum Haranem ac mortuum & Abrahamum ex igne liberatum esse. Itaque Patriam natalem Abrahami fuisse Haran, trans flumen, ubi eos habitasse dicat Josue: at in Ur Casdim terra Chaldæorum Abrahamum in fornacem conjectum subivisse discrimen vicomburii. Quomodo igitur Josue dicit, Patres eos trans flumen habitasse *מעורי* jam olim, vel, ut habent LXX. *ἀπ' ἀρχῆς*, & vulgatus ab initio? ut illud taceam, fabulosum videri, quicquid de periculo vicomburii Abrahami asserunt Hebræi. Neque rectius Menasse Ben Israel hanc conciliationem

init,

init, ut trans flumen, hoc est in Mesopotamia habitasse Patres illi, & idolis servivisse, at in Ur Casdim, hoc est, Civitate Babylonie nati esse dicuntur, Concil. pag. 56. Neque enim probabile est Patriarchas Divino mandato ex Ur Chaldaeorum egressos denuo in Haran idolis servivisse. Atcedit, quod Stephanus Protomartyr Act. VII. 2. 3. 4. Abrahamum, antequam in Haran habitaret, fuisse in Mesopotamia, quam v. 4. eandem facit cum terra Chaldaeorum, asserit, disertè innuens, *Ur Casdim* non esse illam Babylonie, sed potius Mesopotamiae *Uram*. Cur verò, inquis, vocatur *Ur Casdim*, Ur Chaldaeorum, si in Mesopotamia sita fuit? Nimirum vel quia כשדי is est nomen non proprium gentis, sed appellativum sectae, uti antea animadvertimus: vel quia in Scriptura Chaldaeorum terrae nomine etiam intelligitur Mesopotamiae pars Assyriae propior, uti vel ex sola narratione Stephani colligitur. Et Babylonie partem aliquam, imò & Babylonem ipsam intra Mesopotamiae terminos fuisse comprehensam, docet locus Plinii lib. 6. 26. *Babylon Chaldaicarum gentium caput, diu summam claritatem obtinuit, in toto orbe: propter quam reliqua pars Mesopotamiae Assyriaque Babylonia appellata est.* Et paulò post: *Sunt etiamnum in Mesopotamia oppida, Hipparenum, Chaldaeorum & hoc, sicut Babylon juxta flumen Narragam, qui dedit Civitati nomen, muros Hipparenorum Persa diruere. Orcheni quoque tertia Chaldaeorum doctrina, in eodem situ locantur, ad meridiem versi.* Porrò Orchoën Tremellius & eandem cum Ur esse existimat. Ipsam porro Mesopotamiam ab Oriente Tigri, ab occasu Euphrate, à meridie mari Persico, à Septentrione Tauro inclusam esse refert idem Plinius lib. VI. 27. Adeò ut non tantum inter duo flumina inclusa, sed etiam eorum ripis apposita omnia, Mesopotamiae deputanda intelligantur. Fortassis etiam eodem faciunt verba Josephi Antiq. 1. 8. ubi de Abrahamo: *Χαλδαίων δὲ καὶ τῶν ἄλλων Μεσσοποταμιτῶν παρὰ τὸν αὐτὸν μετακίβην δοκιμάσων καὶ Βάβυλιν, καὶ Βοηθίαν & Θεῶν, καὶ Χαναανίαν ἐγγὺς γλυῦ.* Cum Chaldaei & Mesopotamiae ceteri contra ipsum insurgerent, consilium migrandi cepit & voluntate ac favore Dei fretus, terram Chananeam tenuit. Pater igitur Uram Abrahami rectè tum Mesopotamiae, tum Chaldaeae deputari posse. Neque tamen inde sequitur, quod putat doctissimus Praesul Armachanus, Abrahami Uram esse eam ipsam, cujus meminere Plinius & Eupolemus. Pugnatur enim hoc aperte cum verbis Josuae, qui Abrahamum trans flumen, non citra habitasse innuit. Ura autem Eupolemi & Plinii, uti verba eorum expendenti liquet, respectu Cananae, citra Jordanem sita est.

VI. Cum Urae Chaldaeorum versaretur Abraham, & cum reliquis idolis Gentium serviret, uti testatur Josue cap. XXIV. 2. Deus singulari eum gratia profecutus, & quia promiserat antea, se futurum Deum Semi, adeoque etiam posteritatis ejus, jussit Thærachum unà cum Abrahamo, Sara & Loth exire ex Ur Chaldaeorum. Vocatio ipsa habetur Genes. XII. 1. 2. 3. sequentibus verbis. *Abi è terra tua & è cognatione tua, & è domo Patris tui, ad terram, quam ostendam tibi. Faciamque te in gentem magnam, & benedicam Tibi ac magnificabo nomen tuum & eris benedictio. Benedicam quoque benedicientibus tibi, & maledicentibus tibi maledicam, & benedicientur in te omnes familie terrae. Qua in oratione habemus tum jussum Dei, tum ἐπεγγελῶν promissionem. Jubet Deus eum exire è terra sua, è cognatione sua, è domo Patris sui, eam in terram, quam ipsi ostensus erat. Ambigunt Viri docti, an haec mandata ad Abrahamum facta sint in Ur Chaldaeorum adhuc commoranti, an in Charan habitanti? Et ambigendi ratio est, quia jam ante Genes. XI. 31. Abraham cum suis dicitur exivisse Ure Chaldaeorum, & Charanem usque pervenisse, ibidemque habitasse. Ita Augustinus de Civ. XVI. 15. *Quòd autem jam in Mesopotamia constituto, hoc est, de terra Chaldaeorum egresso dixit Deus: Exi de terra tua &c. non ut corpus inde eiceret, quòd jam fecerat, sed ut animam evelleret, dicitur. Verum per anticipationem ea dicta esse, satis arguit narratio B. Stephani Act. VII. 2. 3. ubi Deum Abrahamo in Mesopotamia versanti apparuisse, & iis verbis, quae extant Genes. XII. 1. 2. eundem vocasse dicitur, πρὶν ἢ κατοικήσῃ αὐτὸν ἐν Χαρρῶν, antea quam habitaret Charran. Neque Boulducus audiendus, qui de Eccl. ante legem lib. III. 1. per-*
tendit*

tendit, in verbis Dei Genes. XII. 1. geminam vocationem contineri, ita quidem ut verbis illis; *Abi è terra tua, & è cognatione tua*; ex Ur Chaldæorum: ex verbis autem sequentibus; *È è domo Patris tui*; ex Charane Divinitus evocatus fuerit. Etenim continuus ille verborum tenor satis prodit, de una vocatione sermonem esse. Neque domus Patris Abrahami erat Charane, sed potius in Ur Chaldæorum. Quamvis enim comitem habuerit optimum Patrem, tamen domum Patris omnino deseruit. Verùm de gemina hac, quam Viri docti statuunt, vocatione paulò inferius plura.

VII. Quam verò ob rationem Deus Abrahamum ex terra Chaldæa migrare in Cananæam voluerit, quæritur? Boulducus de Eccl. ante Leg. III. 2. missum à Deo in Cananæam Abrahamum pertendit, ut cultum idolorum, à quo Chaldæam jam & Mesopotamiam liberaverit, à terra Cananæa Patria sua averteret, simulque Melchisedeco ad veræ Religionis conservationem & propagationem fidus Achates existeret. Idque probare conatur tum ex eo, quòd profectus in terram Canaan secum duxisset dicitur animas quas fecerat in Charan, hoc est, quas ipse & Sara Charane ad verum Dei cultum traduxerint: tum ex testimonio Chrysostomi, asseverantis, dispensasse Deum, ut Abrahamus non solum Palæstinam incolentibus esset Doctor, sed & iis, qui in Ægypto erant, quò sic lux virtutis ejus manifestaretur omnibus: tum denique ex eo, quòd dicitur Abraham perrexisse, & progressus esse ad meridiem, versus Ægyptum, ut nimirum ubique veram Religionem plantaret. Sanè dubitari non potest, quin Abrahamus quaquà iret, præcipuam curam habuerit tum idololatriæ refellendæ, tum veræ Religionis animis hominum instillandæ. Fuisse tamen vel potissimam vel solam causam Abrahami in Cananæam ablegati, sine ratione asseritur. Eo enim solo sine si missus esset Abrahamus in Cananæam, Deus gratia sua verticordia effecisset, ut Cananæi ad verum Deum converterentur: sicut Apostolos ad gentes missos eadem gratia comitatum esse legimus. Nunc id factum non esset liquet vel inde, quòd Cananæi in pristina idololatria permanerint, imò in ea magis magisque creverint. Unde Amorhæi iniquitatem magis magisque complendam, & ea completa Terram Canaan ab Israelitis possidendam esse, Deus Abrahamo confirmat. Neque rationes Boulduci cassà nuce valent. Quo sensu Charane Abrahamus fecerit animas, postea viderimus. Chrysostomus rectè scribit, Abrahamum Gentium lucem & Doctorem fuisse. Sed hoc vel potissimo vel solo sine missum esse in Cananæam non dicit. Abrahamus sanè perrexit versus meridiem & in Ægyptum. Sed fecit id tanquam advena, qui stabilem locum non haberet: non ut Cœnobia institueret, aliæque ejusmodi, uti fingit hic Monachus. Vera igitur causa Abrahami in Cananæam divinitus ablegati est, quia ex sœdere Testamenti rationem habente ipsi donavit terram eam, post quadringentos annos à semine ejus possidendam, in qua ipsi in promisso semine futurus erat *in Deum*, hoc est, peccata actu expiaturus per Christum in ea terra appariturus, & morte sua populum Dei redempturus. Hinc Deus dicit Genes. XII. 7. *Semini tuo dabo terram hanc.* Et Genes. XVII. 8. *Et dabo tibi & semini tuo terram peregrinationum, tuarum & sicut ipsi in Deum.*

VIII. Cum mandato exeundi ex Patria Deus conjungit promissionem amplissimam, quòd ipsi benedicturus sit, adeo ut in gentem magnam excrescat, & in ipso benedicantur omnes familiæ terræ Gen. XII. 2. 3. Quæ promissio tum temporalia bona, tum spiritualia complectitur. Inter temporalia bona sunt tum posteritatis ex eo descensuræ multitudo, tum nominis celebritas. Sed τὸ κλέμαρ seu palmarium hujus promissionis caput continetur his verbis: *וּבְרַכְתֶּם בְּכָל מִשְׁפָּחוֹת הָאָרֶץ* & *Benedicentur in te omnes familie terræ.* Quæ promissio similibus verbis repetitur Genes. XXII. 18. XVIII. 18. XXVI. 4. XXVIII. 14. Quæ omnia loca contrahit Paulus Gal. III. 8. *Scriptura prævidens Deum ex fide justificare gentes, ante evangelizavit Abrahamo, Benedicentur in te omnes gentes.* Unde apparet, benedictionem gentium, & earundem ex fide justificationem æquipollere. Neque enim ea benedictio Gentium in Abrahamo respectum tantum habet ad multiplicationem seminis. Dici-

Dicitur enim: *Benedicentur in Te*, hoc est, hæredes benedictionis tuæ fient. Idque amplius cognoscitur ex eo, quòd dicit Deus: *Qui benedixerit tibi, benedictus, & qui maledixerit, ei maledicam.* Ubi benedictio omninò est aliud quàm multiplicatio seminis corporalis, quippe quæ notat additionem boni, ejusque stabilis & possessorem suum beatum efficiens. Frigida etiam est interpretatio Hæbræorum, omnes nimirum gentes precantes sibi vel aliis bona, ita dicturas: *sic mihi benedicat, vel faciat Deus, uti fecit Abrahamo.* Non enim Deus intelligit benedictionem *voti & desiderii*, sed benedictionem *rei & effectus*. Sensus igitur promissionis optimè à Paulo attingitur, docente, promissam esse justificationem gentium ex fide in Abrahamo, sive, uti statim interpretatur Paulus, *ὡς τὸ πῶς ἂν Ἀβραάμῃ cum fideli Abrahamo benedici gentes.* Porro *cum & in* fideli Abrahamo benedici dicuntur gentes: *Primò*, quia ad benedictionem consequendam benedicturæ sint Abrahamo, hoc est, credituræ, quòd Abrahamus gratiosè à Deo vocatus & ex fide justificatus sit. *Secundò*, quia gentes vi promissionis Abrahamo factæ benedictionis hæredes futuræ sint. *Tertiò*, quia gentes benedicendæ communionem cum Abrahamo habituræ sint, ut sint in ipso, nempe per communionem cum semine ipsius. Igitur particula illa *ὡς* triplicem in hac promissione significatum obtinet: *Benedicentur in te*. 1. ut in exemplari. Abraham, quippe ex fide justificatus & benedictus exemplar ac typus fuit benedictionis ac justificationis gentium ex fide. Hinc Petrus Act. III. 25. *Vos estis filii Prophetarum & fœderis, quod pepigit Deus cum Patribus vestris, dicendo ad Abrahamum: In semine tuo benedicentur familiae terræ.* 2. ut in Patre. Sic Deus dicit ad Abrahamum: *In Isaco vocabitur semen tuum.* Perinde ac si diceret, vocando semen & filios Isaco, semen tuum vocabo. 3. ut in causa. *Benedicentur in te*, hoc est, semine tuo, nempe Christo, omnis benedictionis fonte. Hunc sensum reddit Paulus Gal. III. 16. *Abrahamo dictæ sunt promissiones & semini ejus, non dicit: Et seminibus, tanquam de multis. Sed tanquam de uno: Et semini tuo, qui est Christus.*

IX. Vocationi Divinæ lubens Abrahamus subscribit & obtemperat. Causari sanè poterat multa, Patriæ dulcedinem & amorem insitum naturâ omnibus, discrimina peregrinantium, incerta viarum, aliâque ejusmodi. Verùm hæc omnia quò minus in consilium adhiberet, effecit potens gratiæ Divinæ tractus, & melioris Patriæ ac civitatis illius, quæ fundamenta habet, & cujus architectus Deus est, certa fide subnixâ expectatio. Hoc nempe sibi proposuit, quod Plotinus apud August. de Civ. D. IX. 16, eleganter dicebat: *Fugendum est ad clarissimam Patriam, & ibi Pater & ibi omnia.* Obedientiam hanc merito adscribit fidei Paulus Hebr. XI. 8. 9. 10. *Fide vocatus Abraham obedivit exiens in locum, quem accepturus erat in hereditatem: & exiit non sciens quò iret. Fide peregrinatum venit Abraham in terram promissionis tanquam alienam, in tabernaculis habitans cum Isac & Jacob coheredibus promissionis ejusdem. Expectabat enim eam, quæ fundamenta habet civitatem, cujus artifex & conditor est Deus.* Patet hinc, obedientiam Abrahami ex fide profectam esse: & fidem eam fuisse non circa specialia & temporalia quædam beneficia, sed circa semen, in quo erat benedictio, circa donum justitiæ, & æternam in cœlesti Patria remunerationem. Errat igitur magnopere Grotius, qui urbem illam patriam fundamenta habentem, quam expectasse Abrahamus in sua peregrinatione dicitur, interpretatur Hierosolymam. Atqui ex Mose constat, Deum dixisse Abrahamo: *Ego ero merces tua magna valde.* Genes. XV. 1. Quomodo Deus ipse Abrahamo *merces magna valde* fuit, si non potuit nisi terrestrem Patriam, non ab se sed à semine suo, diu post mortem ipsius possidendam expectare? Hinc Patriarchæ etiam in senectute facti sunt, se peregrinos esse & advenas. Quin & Jacobus de paucitate & injucunditate dierum suorum questus legitur Genes. XLVII. 9. Et mortui iidem dicuntur *secundum fidem.* Hebr. XI. 13. Proinde crediderunt, se demum post mortem accepturos promissam mercedem, adeoque in cœlesti non terrestri Patria. Imò Deus etiam post mortem voluit *Deus ipsorum* vocari. Unde colligit Christus, eos *Deo vi-*

vere, hoc est, Divinâ potentiâ & gratiâ vitæ participes esse, Luc. XX. 38. Et Paulus v. 16. ait, non pudere Abrahami & Patriarcharum Deum, quin Deus ipforum nominetur, quia Civitatem illis paravit. Innuit, Deum non erubescere ipfos, quamvis sepultos, neque putavisse suæ de bonitate ipsis exhibita gloriati detrahere, quod ante mortem suam nullam stabilem possessionem obtinuerunt. Aliud enim esse longè excelsius, propter quod Deus ipforum nominari voluerit, nempe quod Civitatem ipsis paravit. Id si accipiamus de Patria & Urbe, quam post multa secula possidendam obtinuerunt eorum filii, non apparet sanè, quomodo à filiis voluerit appellari Deus Abrahami, Isaci & Jacobi, antequam illi terram aut civitatem terrenam obtinerent. Imo Apostolus idem v. 16. difertè ait, eos subivisse desiderium $\kappa\epsilon\tau\iota\sigma\tau\omicron\upsilon\theta$, $\tau\alpha\tau\epsilon\sigma\tau\omicron\upsilon\epsilon\pi\sigma\epsilon\gamma\epsilon\upsilon\iota\varsigma$, melioris, hoc est, celestis Patriæ.

X. Postquam Abraham tum mandata tum promissa Dei percepit, duce migrationis Thærachæ, & comitibus Sara ac Lotho, egressus est de Ur Chaldæorum, ללכת ארצה כנען ut pergeret in terram Canaan Genes. XI. 31. Colligi hinc posse videtur, Abrahamo & comitibus haud incognitam fuisse terram, ad quam ipsis migrandum erat. Contra tamen Genes. XII. 1. Deus alloquitur Abrahamum: *Exi ad terram quam ostendam Tibi.* Pollicetur se demum ostensurum ei terram, quam in vocatione ipsa non expressit. Hinc etiam Paulus docet, Abrahamum exivisse, $\mu\eta\ \delta\iota\sigma\kappa\alpha\mu\epsilon\upsilon\sigma\iota\varsigma\ \pi\alpha\varsigma\ \epsilon\pi\chi\epsilon\tau\alpha\iota$ ignarum quod venires Hebr. XI. 8. Si nescivit Abrahamus, quò iret, & terra ad quam eundem, demum post exitum ostendi debuit: quomodo igitur exiverunt ex Ur Chaldæorum, ut pergerent in terram Canaan? Laurentius Codomannus Chronol. lib. I. 3. nec non Nicolaus Abramus in Pharo V. T. lib. VII. 21. in verbis illis, *Tulit Thara filium suum &c. ut irent in terram Canaan:* particulam ut non causam & intentionem, sed duntaxat eventum rei denotare, perinde ac si diceret: *Eduxit eos de Ur Chaldæorum; quo factum est, ut venirent in Canaan,* respondens. Verùm cum Thærachus in terram Canaan non venerit, sed Charane potius mortuus sit, non potest illa particula eventum designare, qui respectu Thærachæ nullus omnino fuit. Rectius igitur respondet Torniellus A. M. 2113. Num. 3. *Bene fieri potuisse, quod Abram, quando exivit, sciret Deum velle, ut ipse iret in terram Canaan; sed nesciret, num vellet eum ibi requiescere, an etiam ultra ad remotiorem aliquam regionem progredi; ac propterea eum venisse in Charan, non animo ibidem sistendi, sed transgredi versus terram Canaan, certo credentem, quod ibi Dominus monstraturus esse terram, ad quam pergere & in qua morari deberet: quemadmodum mox revera factum fuit: Cum enim Sichemum in terra Cananea venisset, audivit à Domino: semini tuo dabo terram hanc,* Genes. XII. 7.

XI. Ex Ur Chaldæorum cum paterna familia migrans Abrahamus venit חרן Charanem, atque ibidem habitavit, Genes. XI. 31. חרן Græci LXX. scribunt $\chi\alpha\rho\gamma\iota\upsilon$, Romani Scriptores Carræ. Arabes hodieque vocant חרان Charan vel Charran. Eam urbem sic describit Stephanus: $\text{Καρρῶν πόλις Μεσοποταμίας, ἄνω Καρρῶν ποταμῶν Συρίας. Carræ Urbis Mesopotamiae à Carræ Syriae fluvio. Scriptura nempe eam collocat in Aram Nabaraim, id est Syria duorum fluviorum, Genes. XXIV. 10. nec non in Padan Aram Genes. XXV. 19. XXVII. 43. quæ in vulgata editione Græca & Latina Mesopotamia & Mesopotamia Syriae, est reddita: quàmque Tremellius & Junius eam partem Mesopotamiæ fuisse existimant, quam Ptolomæus vocat Ancovaritida, & Chaborras fluvius in Euphratem labens differat. Tam urbi quàm fluvio huic haud dubiè impositum nomen est ab Harane fratre Abrahami. Plinius lib. V. 24. Carras numerat inter oppida Arabiæ ad mare rubrum pertinentis. Verba ejus sunt: Arabia supra disfla habet oppida, Edessam, quæ quondam Antiochia dicebatur, Calliroën à fonte nominatam, Carras clade Crassi nobiles. Lucanus verò eam assignat Assyriæ his verbis: Assyrius Latio maculavit sanguine Carras: Cujus discriminis ratio petenda ex latiore notione Mesopotamiæ, quàm ex B. Stephano, Plinio & Josepho antea eruimus. Charanem hanc etiam describit Benjamin Tudelensis$

in Itinerario, ubi Charane visi ædes Abrahami, ad quas Muhamedani religionis ergo confluant, commemorat.

XII. Charane cùm versaretur Abrahamus, ac Sara, reliquique, ibi præter substantiam acquisitam נפש עשו *animas fecerunt* Genes. XII. 5. Quo sensu animas fecisse dicantur, dubium est. Græci reddunt: πῶσαν ψυχῶν, ἃς ἐκτήσαντο, omnem animam, quam acquisiverant. Syrus נפשתיא דעברו *Animas, quas fecerant*. Neque aliter Samaritanus & Arabs. Inter Hebræos non desunt, qui id intelligant de religiola institutione, qua Abraham & Sara profelythos fecerint. Ita AbenEzra: ויש אומרים הנפשות שהרום האמת לעבוד את השם: *Et sicut qui dicant, animas intelligi, quas docuerant veritatem ad inservientium vero Deo.* Hunc in sensum etiam Thargum Onkelosi ירת נפשתיא *Et animas quas subiecerunt legi in Haran.* Sentiunt autem Abrahamum quidem Viros, Saram autem fœminas instituisse. Subscribit huic sententiæ Abulensis. Non negamus sanè Abrahamum quocunque se conferret, homines ad Dei veri cultum transducere conatum esse. Id tamen hoc loco indigitari minime arbitramur, cùm insolens sit in hoc significatu phrasis *facere animas*. Multo minus probari potest temeraria satis assertio Boulduci, qui animas, quas Charane fecit Abraham, interpretatur de quibusdam religiosæ sodalitati initiatis & consecratis ab Abrahamo hominibus, quos adhuc in pietate tenellos multis aliis fortioribus ibi pro aliorum ædificatione relictis, secum adducere operæ pretium duxerit. Quod quidem Monachi commentum supra explosimus. Placet igitur magis eorum interpretatio, qui de acquisitione seu emptione hominum & animalium ad usum servitii Mosè interpretantur. Nempe defuncto Thæracho, Abrahamum cum Lotho & reliqua familia Charranem perrecturum, patrimonium sibi relictum, & facultates veteres, novorum aliquot municipiorum & jumentorum, rerumque aliarum acquisitione augere eum voluisse, est probabile. Ita Aben Ezra: עשו כמו קנו *Fecerunt, idem quod acquisiverunt.* Eodem modo LXX. Interpretes, ἐκτήσαντο *acquisiverunt.* Ita Genes. XXXII. 1. *Ex iis que sunt Patris nostri עשה fecit sibi* (hoc est comparavit) *omnem gloriam istam.* Et Deut. VIII. 17. *Manus mea עשה fecit mihi hoc robur: ubi Thargum habet: ידי כנש manus mea possidere me fecit substantiam hanc.* Et Arabs אכתשבת לי *acquisiverunt mihi.*

XIII. De Thæracho, Abrahamo, reliquisque Charanem profectis dicit Moses Genes. XI. 31. וישבו שם *Et habitaverunt ibi.* Et de Thæracho quidem, eum natum ducentos & quinque annos ibi supremum diem clausisse. Quamdiu verò Abrahamus reliquique comites Charane habitaverint, non expressit Moses. Probabile tamen est, non diu & vix unum annum ibi eum hæsisse, ne Divinæ vocationi non obsequi videretur. Quid enim præter morbum & corporis infirmitatem Thærachum, quem erga Deum pietas, patrium solum & proprios lares relinquere coegerat, ab incepto itinere peragendo detinere poterat? Quid etiam præter pietatem erga Patrem moribundum, qui religionis causa peregrinationis hujus, & comitem & ducem se præbuerat, Abrahamum, cujus tam prompta in Divina vocatione sequenda tantopere obedientia prædicatur, impedire poterat, quò minus rectè tenderet in Canaanem? Nam quòd Thærachus vel loci amœnitate captus, uti fingit Abenezra, vel veterem in idololatriam relapsus, uti statuunt alii, Charane manserit, neque filium sequi voluerit, figmento similimum est. Neque nos movent Petavii, Bonfrerii & Harvillæi argumenta, quibus Abrahamum aliquot annos habitasse Charane pertendunt. Primò Stephanus, inquiunt, dicit Abrahamum κατοικήσασαι ἐν χαρρῶν, *habitasse Charane.* Probabile autem esse, verbo habitandi plures annos denotari. Secundò Abrahamus Genes. XII. 5. dicitur Charane animas fecisse, hoc est, mancipia & pecora vel jumenta, quibus Charane bona ipsius aucta fuerint, comparavisse. In his autem comparandis, & congerendis plures annos consumi omnino debuisse. Tertio Abraham Charanem vocat *terram suam* Genes. XXIV. 4. Atqui non vocasset *Terram suam,*

suam, nisi aliquot annis in ea habitasset. Quis enim suam vocaret terram, per quam solummodo transivit? Hæc argumenta solida non sunt. Non *primum*. Ponamus enim exeunte vere Thærachum & Abrahamum Uræ Chaldæorum decessisse, & morbo Thærachii interveniente continuam ætatem & hyemen ibi transegisse, ac demum novo vere ineunte Abrahamum Charane digressum esse: annon longum satis temporis intervalum est, ut in eo Charane habitasse dici possit? Sic qui ad sex menses domum conduxit, licet minori tempore, non minus tamen habitavisse dicitur, quam qui per sex annos habitationem in ea continuaverit. Et Vox Hebræa יִשָׁב nec non Chaldæa יָתִיב non tantum habitare, sed & sedere significat, ut brevissimi temporis commoratio ad hoc sufficere possit. Non *secundum*. Nihil enim necessum, ut de congestis opibus & mancipiis ac animalibus domi enatis Moses intelligatur potius, quam de acquisitis emptione mancipiis, animalibus, aliisque rebus, quibus Patrimonium relictum à Patre augeri posset. Atqui acquisitio illa quam brevi tempore fieri potuit? Non *tertium*. Neque enim Abrahamus Charanem terram suam vocat, sed אֶרֶם נְהַרִים seu Mesopotamiam, uti liquet ex Genes. XXIV. 4. collato cum v. 10. In Mesopotamia autem fuit non Charan duntaxat, sed etiam Ur Chaldæorum, uti supra docuimus.

XIV. Cum aliquandiu Charane moras nexuisset Abrahamus, ascitis comitibus Sara, Lotho, & universo illo, quod Charane sibi comparavit famulitio, iter in Canaan susceptum profecturus, Charane egressus est ללכת ארצה כנען ut pergeret in Terram Canaan, Genes. XII. 5. Plerique hic altera vocatione exitum Abrahamum ad continuandum iter existimant. Id tamen qui probari possit non video. Unica est vocatio, descripta Genes. XII. 1. 2. 3. nec non Act. VII. 2. 3. Ea contigit, Abrahamo adhuc dum in Patria, Uræ nimirum Chaldæorum habitante. Ita enim Stephanus, *Deus gloria apparuit Patri nostro Abraham, cum adhuc esset in Mesopotamia πρὶν ἢ κατοικῆσαι αὐτὸν ἐν Χαρρῶν, antequam habitaret in Charan, & dixit ei: Exi ex terra tua &c.* Act. VII. 2. 3. Unde apparet, vocationem illam Genes. XII. 1. 2. 3. descriptam factam esse, antequam Abrahamus Charanem proficisceretur. Atqui ab ea si discesserimus, vocatio alia apparet nulla. Neque etiam necessum fuit, vigente adhuc dum prima vocatione, alteram accedere. Non satis se extricat doctissimus Usserius Armachanus, asserens Stephanum, qui Abrahamum ex Ur Chaldæorum evocatum ex obscuriore insinuatione Genes. XI. 31. & clarioribus Scripturæ testimoniis, Genes. XV. 7. Jos. XXIV. 2. 3. & Nehem. IX. 7. intellexerit, & verbis aliquibus significatum fuisse illam vocationem non dubitaverit, verba & ipsum ex ipso argumento deducta Deo attribuisse, adeoque ea ad Mosaica illa Genes. XII. 1. 2. quibus eandem vocationem iteratam exprimi viderat, conformanda censuisse. Nam conjectura hæc est, non res. Et conjecturæ illi repugnat, quod verba illa, quibus primò vocatus Abraham ne quidem quadrare possunt ei tempore, quo Abrahamus Charane discessit. Tum enim Patre mortuo mandari Abrahamo non potuit, ut ex terra sua & cognatione sua, quam nullam sibi reliquam habuit, discederet. Nec firma etiam est ratio Salliani, petita ex verbis Moysis Genes. XII. 4. *Abiit itaque sicut dixerat ei Jehovah, & perrexit eum eo Loth.* Et 70. annorum erat Abraham, cum egrederetur de Charan. Non præceperat autem, inquit Sallianus, illi in Chaldæa, ut exiret de Haran in quam nondum ingressus fuerat. Quo argumento pugnat etiam Usserius. Non dicam cum Conrado Paovello, duo hujus versiculi membra ita ab se invicem divelli posse, ut prius ad primam Abrahami ex Ur Chaldæorum, posterius ad secundam ejusdem ex Charane profectionem referatur. In prima quippe profectione quod merito urget Usserius, non egressus est tantum Abraham & cum eo Loth, sed Pater Thærachus, qui Genes. XI. 31. illius profectionis statuitur autor. Quamvis enim vocatio directa sit ad Abrahamum, tamen, quia ipse erat Paterfamilias, idè migrationis negotium illi adscribitur, non filiofamilias, uti rectè adnotavit in Elencho Pareano Scaliger. Dicitur igitur potest, v. 4. describi profectionem Abrahami è Charane in Canaan, omiſſa priori profectione ex Ur Chaldæorum in Charan, quippe

quæ jam superiori capite in illa anticipatione Mosis fatis descripta est. Vel certè divelli ita possunt versus illius membra, ut verba illa: *Egressus est Abraham, sicut praeceperat illi Dominus*, ad priorem ex Ure Chaldaeorum profectionem; sequentia autem verba, *וילך ויהי אברהם* ambulavit cum eo Loth, ad posteriorem illam ex Charane, quæ prioris continuatione tantum erat, referantur. Neque enim id absurdè statui puto, quia non tam duæ profectioes fuerunt, quàm una, eaque quàmvis ad breve tempus interrupta, continuata tamen. Non obstat etiam, quòd Stephanus vocationis duntaxat, non etiam promissionis adjunctæ apud Mosen, mentionem facit. Unde confici posse Salianus putat, duas vocationes fuisse, quarum prior à Stephano descripta additam promissionem non habuerit: posterior à Mose delineata promissionem conjunctam habuerit. Stephanus sanè promissionem omisit, quia nihil attinebat singula persequi. Cui verò dubium, quin primæ vocationi Deus promissionem addiderit?

XV. Abrahamum Charane migraturum in terram Canaan, substituisse Damasci, & ibidem regnasse tradit Josephus, ex Nicolao Damasceno Antiq. I. 8. Verba ejus sunt: *Νικόλαος δὲ ὁ Δαμασκηνὸς ἐν τῇ τέταρτῃ τῶν ἰσραηλῶν λέγει ἕτως. Ἀβραμὴ ἐβασιλεύσεν Δαμασκῶν ἐπὶ πηλὸς, σὺν στρατῷ ἀφιγμένῳ ἐν τῷ γῆς τῷ ἑσπέρῳ Βαβυλῶν Χαλδαίων λεγομένης. Nicolaus Damascenus in quarto historiarum sic scribit: Abrahamus regnavit apud Damascenum advena, ut qui cum exercitu venerat è regione supra Babylonem sita, quæ Chaldaeorum dicitur. Neque aliter Justinus Trogi Pompeji epitomator Hist. XXXVI. 2. 3. Nomen urbi à Damasco Rege inditum. Post Damascum, Azelus, mox Adores & Abraham & Israhel Reges fuerunt. Favet utrique Boulducus, uti est in assertionibus audax. Nam Regis sacrorum ibi defunctum munere scribit, quod etiam aliis in locis exerciturus erat per sacrificiorum oblationes, publicas orationes &c. Et subjungit, Damascum illum, quem Damasci regnasse ait Justinus, esse ipsum Eliezerem servum Abrahami, qui ipsum Damasco comitatus fuerit. Unde etiam Damascum vocari Genes. XV. 2. de Ecclesia ante legem lib. III. 2. Verùm Boulduco opponam Pererium, non malè ita ratiocinantem, in cap. XII. 11. Neque verò non graviter peccasset Abraham, neque Dei mandatum quo jubebatur ex Mesopotamia ire in terram Canaan, ut par erat, executus fuisset, si Damasci non solum commorari, verùm etiam post habitis Dei promissis regnum sibi comparare studuisset. Adde quòd Abraham ubique se peregrinum & advenam esse dixit, idemque de se suisque majoribus professus est Jacob. Nusquam igitur ille propriam sedem aut domicilium, nedum Regnum obtinuit. Neque etiam ratio temporis permittit, ut regnandi causà diu commoratus Damasci Abrahamus dicatur. Cùm enim hic annus sit septuagesimus sextus Abrahamæ, & idem post annos decem commorationis in Canaan, acceperit Hagar uxorem, ex qua anno octogesimo sexto suscepit filium Ismaelem, apparet eum rectà ex Mesopotamia in Canaanem perrexisse, neque uspiam stabilem sedem fixisse, antequàm in Canaan veniret. Deinde live vi, live precariò regnum illud obtinuit, quomodo tam citò desereret, præsertim famæ ad Ægyptiacam peregrinationem compellente? Quomodo rem tam illustrem, & futuram Judæis gloriosam nusquam Scriptores Sacri attigerunt.*

XVI. Ingressus Abraham terram Canaan non statim quiescit, aut de figendo stabili domicilio sollicitus est. Transivit enim per terram illam *עד מקום שכם עד אלון מורה* usque ad locum Sichem, nempe usque ad quercum Moreb Genes. XII. 6. Igitur prima illius statio fuit in eo loco, ubi procedente tempore condita est urbs Sichem, quæ aliter etiam dicta Sichima & Sichimi & Sichar, & ut quibusdam placet, olim etiam Ephraon. Probabile est dictam esse Sichem à filio Hemor Sichemo Genes. XXXIV. De ea urbe ita Hieronymus de locis Hebraicis: *Sichem & Salem, quæ Latine & Græcè Sicima vocata est, civitas Jacob nunc deserta est. Ostenditur autem locus in Suburbanis Neapoleos juxta sepulchrum Joseph, quam subvertit Abimelech, & seminavit in eà salem, sicut in libro Judicum scriptum est. Postea verò instaurata est à Hieroboam, ut Regnorum narrat historia: Et sita est in finibus terræ Ephraim. Sed & filius Emor appellatur Sichem, à quo & locus nomen acceperat.* Vide sis etiam de ea Adrichomium & Brochar-

ehardum, nec non Benjaminem Tudolensem in Itinerario, ubi Neapolin olim dictam *Sichem* duabus ab urbe Samaritæ parasangis distare scribit. De eadem agit Geographus Nubiensis Clim. 3. parte 5. Cæterum difficilior est quæstio de *אלון מורה* *Elon Moreh*, uti vel ex solo Interpretum dissensu liquet. Et vulgatus quidem transfert *convallera illustrem*. Græci *δρυὸν ἄλωνα* *quercum altam*. Syrus *בלוטם דמורה* *quercum Mamre*. Chaldæus *מוריה מישד* *quercum Moreh*. Arabs *בליט ממרי* *quercum Mamre*. Quod vocem *אלון* attinget, Abenezra deduci eam posse ait ab *אלה* quæ *arborem* notet. Sed quenam species sit arboris, magna est dissensio inter ipsos etiam Hebræos. Sunt qui *quercum* volunt, illicem alii, alii *pinum*, alii *abietem*, alii *castaneam*, alii *terebinthum*, *ulmam* etiam aliqui aut *tiliam*. In Daniele Vulgatus & LXX. vertunt *arborem*. Ezech. XXVII. 6. Græci *abietem*, Vulgatus *quercum* vertit. Fortassis non tam certam arborum speciem, quam arboretum, seu locum arboribus glandiferis, quales sunt *quercus*, *confitum* significat. Quòd verò vocem *מורה* *Moreh* attinget, errant haud dubiè, qui eam confundunt cum *Mamre*, uti faciunt quidam teste Abenezra, qui *Moreh* hunc existimat fuisse illum *Mamre* *בבל הברית אברהם* *federatum Abrahami*. Eundem errorem errarunt Syrus & Arabs. Loca sanè diversissima sunt *Elon More* & *Elon Mamre*. Sitne tamen vox illa appellativa an propria, mihi incertum est. Fieri potest ut fuerit Vir quidam nomine *Moreh*, qui arboreto vel querceto illi nomen dedit. Quomodo alteri arboreto *Mamre* nomen dedit. Fieri & potest, ut ab ipso Abrahamo tentoria sua eo loco figente, nomen inditum sit *arboretum Moreh*, seu *visionis*, quia ibi Deus ipsi apparuit, uti non malè conjicit Bonfrerius: vel *monstratoris*, uti Andreas Mafius, & ex eo Boulducus ariolantur, nempe Dei, qui juxta promissionem Genes. XII. 1. ex eo loco Abrahamo terram Cananæam demonstravit. Sed de situ hujus loci non minor difficultas. Plerique collocant eo loco, ubi olim erat *Pentapolis*, nunc *Mare mortuum*. Sed præterquam quòd is locus à *Sichem* remotior est, cui tamen *Elon Moreh* Moses videtur vicinam constituere; quorsum ex *Sichem* ivisset *Abrahamus* in *Pentapoli*, & inde egressus fuisset juxta *Bethel*, quæ proxima est urbi *Sichem*? Malè etiam *Abulensis* eodem loco ponit, ubi est *arboretum Mamre*, quod non est aliud quam *Hebron*. Mafius in cap. 8. *Josue* *Elon Moreh* putat esse vel ipsam *Sichem*, vel locum urbi *Sichem* vicinum. *Adrichomius* censet esse ingentem illam & formosam *vallam*, quæ dicta sit *Aulon*, de qua ita *Hieronymus* in locis Hebraicis: *Aulon non Græcum, ut quidam putant, sed Hebræum vocabulum. Appellatur autem vallis grandis, atque campestris in immensam longitudinem se extendens, quæ circumdatur ex utraque parte montibus sibi invicem succedentibus & coherentibus, qui incipientes à Libano & ultra usque ad desertum Pharan perveniunt. Suntque in ipso Aulone, id est, valle campestri, urbes nobiles. Scythopolis, Tiberias, Stagnumque propter eam, sed & Jericho, mare mortuum, & regiones in circuitu, per quas medius Jordanes fluit. Verosimilissimam omnino est, Aulon, quam Hebraicam vocem esse Hieronymus monet, esse ipsam אלון vel אלין. Jod quiescente mutato in Vau mobile. Sensus igitur est, venisse Abrahamum usque ad confinia Sichem, hoc est, usque ad *Elon Moreh*, quæ non procul aberat ab eo loco, in quo vel jam stetit, vel condenda demùm fuit *Sichem*. Non sunt igitur diversæ stationes Abrahami, *Sichem* & *Elon Moreh*, sed una eademque.*

XVII. In prima hac statione Abrahami Deus ipsi apparuit, & hæc ad ipsum verba fecit: *לורעך אתן את הארץ הזאת* *Semini tuo dabo terram istam*. Genes. XII. 7. Hæc secunda Dei fuit apparitio, in externa puta specie aliqua objecta vigilantem. Non esse enim hanc primam, sed secundam potius *visionem*, qua *Abrahamus* vidit Deum, liquet ex eo, quòd *Stephanus* dicit Act. VII. 2. Deum gloriæ ei apparuisse jam tum, cum esset in *Mesopotamia*. Non esse visum Deum in propria forma, certum est, quia nullam habet. Visus ergo est in aliquo præsentia signo. Quale autem fuerit hoc signum, quo *Abrahamo* Deus præsentiam suam manifestavit, dici non potest. Visibile tamen fuisse liquet inde, quia *יהוה אבום* *visus est Jehovah Abrahamo*. Qua ratione velut familiari collo-

quio

quo voluit cum servo suo conferre, eumque in vocatione sua confirmare. In somno hanc visionem ei contigisse putat Maimonides. Extra somnum, citra tamen ullam corporis vocem cum eo locutum esse Deum, opinatur Basilius. Alii aliter. Ego Deum cum Abrahamo locutum esse *σώμα πρὸς σώμα*, probabile puto. Neque tamen scitè vel verè hoc argumento probare nititur Bellarminus, *Deum ergo pingi posse in ea forma, in qua apparuit*. Etenim talia signa, qualia Deus exhibuit, quis repræsentare potest? Quin & signa illa fuerunt evanida, proposita ad usum duntaxat illius, cui exhibita sunt. Proinde non fuerunt imagines Dei, nec eum in finem à Deo paratæ, ut in aliorum usum depingerentur. Neque sub V. T. repertus quisquam est, qui sub tali prætextu imitari vellet, quod Deus non mandaverat, sed prohibuerat. Præterea Deus talia signa nunquam facit communia omnibus, sed nonnullis ea exhibuit cum necessario antidoto. Qui autem eadem depingunt, eaque nomine Dei insigniunt, ea faciunt communia quantum possunt, & mentes hominum quibus obijciuntur, non possunt movere pro lubitu, uti Deus potuit, ne objectis figuris abutantur. Porro signa hæc, quibus Deus præsentiam suam manifestavit, non esse communia, evidenter patet ex Deut. IV. 15. ubi Deus negat, populum Israeliticum ullam sui, cum ex monte Horeb loqueretur, imaginem vel similitudinem vidisse, quo argumento interdicit illi, ne sculptile vel imaginem aliquam faciat. Denique qualiscunque Deorum imago nec Deo similis esse, nec illi organo, in quo Deus se manifestavit, potest. Quippe species quæcunque assumpti corporis non ostendit Deum loquentem vel agentem, sed ipsa Divina verba & verborum efficacia, operationes, & alia Divinæ gloriæ signa. Neque enim Abrahamus vultu cognovit Deum sibi loquentem, sed sermone aut Spiritus S. intra animum indicio. Atqui sermo, ejusque efficacia, operationes, aliæque Divinæ gloriæ signa nulla simili imagine depingi possunt. Non absque causa Scriptura traducens idola ait, imagines habere membra sine usu, Spiritum non emittere, nec respirare. Quo argumento manifestè à cultu rejicit ea, quæ vitam non habent, adeoque vivifica non sunt. Deus enim verus, vivus est & vivificat. Quis igitur ei assimilabit rem vita & spiritu carentem, vel dabit organon tale, in quo nec vita nec vivificatio appareat?

XVIII. Promissio Divina, secunda hac in apparitione Dei Abrahamo facta eò spectat, quod semini ejus daturus sit hanc terram. In prima apparitione Deus iussit Abrahamum exire ad terram, quam ipsi ostensus sit. Terram autem hanc ipsi ostendit & digito veluti cominus demonstravit in prima hac apud Elon Moreh statione, addita pollicitatione, quod eam semini ejus daturus sit. Hæc promissio, quia à nulla conditione suspenditur, & absolute additionem boni includit, à Paulo vocatur *Μεθήκη Testamentum* Gal. III. 15. 16. De qua re uberius sequenti de fœdere Abrahamico Exercitatione. Patet interim, Deum in hac promissione iterum fidem Abrahami exercere voluisse, quippe qui ei ostendit quidem bonum, sed adhuc remotum, in quo possidendo & vindicando sibi, non levis difficultas obijciebatur, non aliter quam per fidem superanda. Quæ ipsius fides, & τὸ φιλόθεον, uti non semel appellat Chrysofomus, clarè colligitur ex eo, quod post auditam promissionem Dei haud secus quam si in possessionem jam terræ mitteretur, testificaturus gratitudinem suam *אלו בני שם מצבה ליהוה הנראה אלו* *ibi* (nempe in Elon Moreh) *ædificavit altare Domino, qui ei apparuerat*. Quam fidem & gratitudinem Abrahami hisce verbis deprædicat S. Chrysofomus in Genesin homil. 32. *ὁ εὖ φιλόθεος γνωμῆς τεκμήριον. καὶ αὐτὸν τὸν τόπον, ἐν ᾧ τὸ ὄμιλίας ἤξιώθη τὸ πρὸς τὸ θεῶν, ἀφιέρωσε, ἔτι δὲ διαχρησάμενος τῆς διώταμιν ἐπεδείξατο. τὸτο γὰρ ἐστίν, ὡς ἐδήμησε Φυσιασηλον, ἀντὶ τὸ διαχρησίστην ὑπὲρ τῆς ἐπαγγελθέντων. Vide pia mentis specimen, & locum ipsum ob suam cum Deo consuetudinem ibi habitam consecravit, & gratiarum actionem pro viribus declaravit. Hoc enim est quod dixit, Altare ædificavit Domino: idem est quod, gratias pro promissis egit.*

XIX. Ex Elon Moreh digressus est Abrahamus *אל ההרה מקדם לבית-אל ad montem ab Oriente ipsi Bethel* Genes. XII. 8. Nam *בית אל מקדם* Bethel ei erat ab Occidente, Hai verò ab Oriente, uti statim sequitur. Ubi tum Bethel, siquidem eadem est cum ea, quæ prius *Lucsa* appellabatur, tum Hai ita nuncupantur per *πρόληψιν*, qualis frequens admodum Mosi. De situ Urbis Hai agit Mafius in Josuæ cap. VII. ubi ex vetustis commentariis Hebræorum narrat, inter Hai & Jericho tria intercedere milliaria, & amplius docet, ab Hai ad Bethel non longius ferè intervallum quàm leucæ unius fuisse. Non desunt Viri docti, quæ montem illum inter Bethel & Hai interjectum fuisse montem Garizim & Hebal existiment. Ita Tostatus & Gerhardus Mercator, qui sententiæ hujus suffragatorem laudat Hieronymum. Is enim libro de locis Hebraicis contendit, montes istos non procul ab Jericho & Galgalis distare, ac Samaritanos magni & manifesti erroris damnat, qui eos montes apud Neapolin, hoc est, Sichem ostendunt. Nihilominus montes illos Garizim & Hebal non interjectos Bethel inter & Hai, sed Neapoli seu Urbi Sichem vicinos fuisse certum est. Etenim Jud. IX. 7. Jotham stans in vertice montis Garizim sublata voce clamasse dicitur ad Viros Sichem. Proinde Garizim & Sichem non longa intercapedine fuere distiti, quippe monte Garizim urbi Sichem ita imminente, ut ex eo sublatus clamor in hac exaudiri posset. Atqui Bethel & Hai, inter quos mons ille Abrahami intercessit, à Sichem non parùm distabat, uti fatentur omnes. Quid verò Hieronymum vel potius Eusebium, qui genuinus author est illius libri, in errore hunc induxerit, ut montem Garizim non procul a Galgalis & Jerichunte distare existimaverit, ostendit Pererius in Genes. XII. 8. 9. Disputat. 3.

XX. In montanis istis Betheli occidentalibus in quibus secunda ei statio obtigit, *יהוה יי* *tabernaculum suum*, Genes. XII. 8. Ita Paulus de Abrahamo: *ἐν σκηνῶν κατοικήσας* in tentoriis habitans, Hebr. XI. 9. Ex quo colligit, Abrahamum unà cum confortibus promissionis in terra peregrina, in qua ne vestigium quidem pedis possederunt, fide peregrinantes, expectasse aliam civitatem, quæ non haberet domus, muros, hortos, vineas, aliæque commoda manu hominum parata, quæ tamen intercedere & vastari possunt, sed civitatem ædificatam in fundamentis, quæ cadere non potest, cujus artifex & structor DEUS est. Ibidem Abrahamus: *בן מבח ליהוה ויקרא בשם יהוה* *adificavit Altare Jehovæ, & invocavit nomen Jehovæ.* Notat Grotius, Abrahamum versus Bethel, adeoque Occidentem orasse, ut quàm longissimè discederet à more Chaldæorum, qui Solem orientem superstitiosè venerabantur. Contra Christianos ad orientem versus orasse ad exprimenda quædam loca Scripturæ de Christo agentia, tum & ut à Judæis sese discernerent, Verùm vestigium ejus ritus precandi nimirum versus occidentem, ab Abrahamo usurpati nullum omnino hic apparet. De more veterum orantium versus Orientem vide sis Augustinum lib. 2. de sermone Domini in monte: Basilium de Spiritu S. cap. 27. Damascenum orthod. Fid. lib. III. 13.

XXI. Ex montanis illis Abrahamus *יסע הלוך ונסוע הנגב* *profectus est eundo ac proficiscendo ad meridiem* Genes. XII. 9. Græci *πρόσθεις ἐς ἄγροπέδωσον ἐν τῇ ἐρήμῳ* *profectus castrametatus est in deserto.* Ubi vocem Hebræam *נגב* convertunt non tam Meridiem quàm desertum, eodem tamen manente sensu. Nam desertum Arabiæ Petreæ respectu Cananæ erat ad Meridiem situm. Proinde deflectendo versus Meridiem non aliò proficisci potuit quàm in desertum. Cæterum quòd pro *יסע הלוך* habent LXX. *ἐς ἄγροπέδωσον*, *castrametatus est*, non admodum placet. Quamvis enim dubitari non possit, quin in deserto alicubi etiam tentorium fixerit, tamen Moses id apertè non dicit, sed hoc tantum, eum versus meridiem profectum esse, eundo ac proficiscendo, hoc est, diu progrediendo, anteaquam in regione illa meridionali pedem figeret.

XXII. Quo tempore in meridionali plaga oberravit Abrahamus, famēs prægravis & sæva terram Canaan incellit. Ea igitur impellente ex meridionalibus illis locis *ךך שם*

scopio. Idem probare conatur Strabo lib. 1. p. 34. edit. Casaub. Inde Aristoteles Meteor. I. 14. vocat ποταμῶν ἔργον *Fluminis opus*; & Ephorus apud Diodorum lib. 1. ποταμὸς ὡς οὐ Plinius lib. XXV. 2. *Homerus*, inquit, *primus doctrinarum & antiquitatum parens*, multas alias in admiratione *Circes*, gloriam herbarum *Ægypto* tribuit, cum etiam *Ægyptus* illa, que rigatur, tunc non esset, postea fluminis limo invec̄ta. Quo tempore floruerit *Homerus*, æque incertum est, atque illud, qua patria oriundus fuerit. Illud tamen minimè dubium, post bellum Trojanum illum vixisse. Bellum autem Trojanum circa tempora *Heli Pontificis* simul ac *Judicis Hebræorum* gestum esse, plerique consentiunt. Falli igitur authores, qui *Ægyptum* post *Homeri* ætatem fluminis limo invec̄tam scribunt. Nam *Abrahamus* longè antiquior *Homero* jam in *Ægyptum* migraverat, quo tempore *Pharao* quidem ibidem regnavit. Nec aliam fuisse *Ægyptum*, in quam profectus est *Abrahamus*, liquet, quòd reliquis terris frumenti inopia laborantibus, sola ea terra frumenti feracissima fuerit, quippe quæ anniversaria *Nili* exundantis irrigatione atque oblimatione mirum in modum semper fecundari consuevit. Quid quòd *Tanis* *Ægypti* olim Regia non procul à *Tanitico* *Nili* ostio, non tantum *Mosis* tempore extitit, qui in terra *Ægypti* in campo *Taneos* mirabilia fecisse dicitur *Psal. LXXVIII. 12.* verum etiam ipsa *Hebrone*, in qua *Abrahamus* diu vixisse dicitur *Genes. XIII. 18. & XXIII. 2.* septem duntaxat annis recentior esse disertè asseritur *Num. XIII. 23*? Sed & fabularis illa *Historia Isis*, *Ori* & *Osiridis*, quæ nihil antiquius habent *Ægyptii*, multorum locorum in infima *Ægypto* meminit, veluti *Tanitici* ostii, *Taphosivicis*, *Buti*, *Pelusii*, teste *Plutarcho* in *Iside*. Sed & *Trojanis* temporibus creditur *Menelaus* *Canobum* appulisse. Nec *Ægypto* quicquam ex *Nili* alluvionibus accedere vel inde constat, quòd cum *Alexandria* stet ab annis ferè bis mille, tamen semper est littorea, & quantum à *Pharo* distabat olim, tantum hodieque distat, nempe stadia septem. Argumenta *Herodoti* dissoluta vide apud *Brodaëum* *Miscell. lib. III. 5.* *Bochartum* in *Phaleg. lib. IV. 23.* Neque tamen sententiæ *Arabum*, nominatim *Ahmed ben Joseph Elthiphasi*, *Abenephi*, *Kaab Elachabar*, aliorumque, quorum testimonio allegat doctissimus *Kircherius* *OEdip. Ægypt. t. 1. cap. 9.* accedimus, quòd *Ægyptus* ante diluvium habitata, à *Regibus*, nominatim *Nacrao*, *Nathra*, *Mesram*, *Henoch*, *Ariak*, *Hasilim* aliisque numero quindecim in ea regnantibus infesta sit. Quamvis enim habitari *Ægyptus* omnino potuerit, tamen habitatam & ab iis, quos narrant, *Regibus* in ea regnatum esse, idoneis testimoneis probari non potest.

XXIV. In *Ægypto* cum oberraret *Abrahamus*, contigit raptus uxoris ipsius *Saræ*. De eo seorsim postea agemus. Ex *Ægypto* rediit una cum uxore, & *Lotho* auctior familia, divitiisque locupletior in terram *Canaan*. Et primò quidem הנגב *versus meridiem*; non quod *Canaan* *Ægypto* sit meridionalis, cum *Ægyptus* potiùs respectu terræ *Canaan* ad meridiem vergat. Sed resumenda est collatio ad terram *Chaldæorum* & *Mesopotamiæ*, quomodo omnino dici potest perrexisse ad meridiem. Vel certè נגב non tam meridiem quàm ἔρημον seu desertum notat, uti etiam *LXX.* transtulerunt. Inde perrexit מסעו per profectiones suas, easdem nempe, quas antehac tenuerat, sed ordine nunc retrogrede, à deserto nempe *Bethel*, usque ad locum, ubi fuerat tabernaculum ejus in principio, nempe inter *Bethel* & *Hai* *Genes. XIII. 3.* Ibi apud altare, quod antea struxerat, rem sacram fecit. Eo loco contentio orta est inter pastores *Abrahami* & *Lothi*. Cum enim uterque auctis in immensum per gratiam *Dei* opibus, pecuarias haberet grandes, cum oviarias tum armentarias, quarum passione non jam amplius terra eadem sufficiebat, facile evenit, ut crebræ contentiones & jurgia utriusque Pastores exercerent. Rectè *Chryso*st. in *Genes. Homil. 33.* ὁπρ τ' ὄν, καὶ ἐμὸν, ἐμὴ πῖστα μάχης ἰδέα καὶ φιλονεικίας ἐσθθῆσαι. Ne tamen inter ipsos *Faciendos* contentio glisceret, convenit inter utrumque de discessione ac diremptione facienda. Ne sit, inquit ad *Lothum* *Abrahamus*, contentio inter me & te, inter pastores meos & tuos, quia viri fratres sumus. Annon universa terra coram te est? Separa te

quæso à me. Si ieris ad sinistram, dextram ego tenebo, sin ad dextram ieris, sinistram ego tenebo: Genes. XIII. 8. 9. Non poterat quidem Abrahamus Lotho facere optionem eligendi absolute alterutram partem, quia terra Canaan suos habebat dominos, Cananæos & Pherefæos, qui ibidem habitabant. Igitur subaudienda conditio, seu lex talis, ut uterque seorsim uteretur conductis ædibus & pascuis ab illis, qui locorum domini erant. Facta ab Abrahamo potestate optionis, eligit Lothus planitiem Jordanis, supra modum quidem fertilem, quippe quæ tum temporis erat כגן יזורה כארץ מזרים באכה צער *instar horti Jebovæ, seu Paradisi, & instar terra Egypti venientibus in Tzoar*; sed incolarum profligata impietate, qua tandem ignium, ut Tertullianus loquitur, meruit imbres, infamem. At Abrahamus post separationem Lothi habitavit in campestribus Cananæorum. Ubi per Cananæos intelligitur peculiaris terræ promissionis pars, tum juxta mare mediterraneum, tum circa fluentia Jordanis posita, in qua gens Cananæorum habitabat, una de septem gentibus, à quibus univèrsa illa regio tenebatur. Nam quòd Cajetanus planitiem Jordanis, quam delegit Lothus, adeoque Pentapolim, ponit extra ambitum terræ Canaan, fallitur magnopere. Clarissimum est enim in sacris Literis, terram Pentapolitanam fuisse partem Orientalem terræ Canaan, prout ea comprehendit totam terram promissionis. Quod porro Lothus v. 11. eligens planitiem Jordanis, dicitur deflexisse מקרב *ab oriente*, non satis planum est. Nam Bethelæ sedes Sodomam, versus orientem profectus est, non ab oriente, cum Pentapolis Betheli sit orientalis. Varii varie respondent. Onkelosus illud מקרב *translulit בקרמתא prius*, quasi sensus esset, Lothum primum deflexisse ab Abrahamo. Quem sensum etiam tuetur Fagius. Alii, quasi re desperata ad allegorias confugiunt. Arabs interpres pro מקרב habet. אלמזרה *Oriente versus*, contrario plane sensu. Nos putamus, Lothum secessisse dici מקרב hoc est, in regionem *ab oriente* sitam. Is enim erat Jordanis, & Sodomæ situs respectu Bethelis. Sic 1. Sam. XIV. 5. מצפון *vertit ad aquilonem*, & מנגב *ad meridiem*. Vel certè dici potest, discessisse Lothum *ab Oriente*, respectu habito non ad occidentem, sed meridiem. Erat quippe Pentapolis etfi absolute Betheli *orientalis*, respectu tamen Palæstinæ *meridionalis*.

XXV. Ex hac Abrahamum inter & Lothum divisione pacifica profectam esse inter homines pacificam consuetudinem, ut quando terrenorum aliquid dividendum est, major dividat, minor eligat, arbitratur S. Augustinus de Civ. D. lib. XVI. 20. Fuisse enim usitatum hunc partiendi morem, significant leges declamatorum, quarum una est: *Major frater dividat, minor eligat*, teste Seneca Declamat. libro sexto. Meritò B. Chrysostomus hanc Abrahami, in instituta divisione & proposita minori optione, divitiis concordiam & minorem sibi prudentiori ac seniori antepontis, æquitatem & humilitatem prædicat, & imitandam proponit. Εἶδε, ita inter alia ille, ἡ ἀρετὴς ἡ δικαιοσύνη ἡ ὑπερηβολὴν, ὅπως ἡ συνεχάρησιν καὶ ἐβλασῆσαι ἢ ρίζαν τῆς κακίας, αἰὲν ἀφαιεῖται ἔκ μέρους τοῦ φέδου καὶ ὡς ἐξ ἑαυτοῦ καὶ ἠφάνισται, πολλὴ τε καὶ ἄπικεῖα χρῆσάμενος, καὶ δι' ἀρετῶν τῶν ἀλλῶν ὑπεροψίαν ἀφατον ἠπιδεξάμενος, καὶ δεικνύς ἀπασιν ὅπως πείσῃς αὐτῷ περὶ πείσῃς πεισμοσύνης τυγχάνει καὶ εἰρήνη. Ἐ τὸ φιλονεκίας ἀπηνάχθησθαι. Vidisti justi illius Virtutis excellentiam, qui ne permisit quidem germinare radicem malitia, sed statim atque subnascitura erat, penitus excidit & evulsit, usque aequitate maxima, & propter virtutem reliqua omnia incredibiliter ab se despici demonstrans, ac ostendens denique omnibus, quam multis modis profect temporalibus facultatibus pax, & ut omnis contentio tollatur. Et paulò post: ἐνόησεν ὅτι ὁ πεισβύτης τῷ νέῳ παρεχάρησεν ἔ ὁ θεὸς τῷ ἀδελφιδῶ, ὃ ὁ τοσαύτης ἀπλακῶν ὡρῶν ἡ θεῶν εὐνοίας τῷ μηδὲν μηδέπω μέγα τι ἐπιδεξάμενος. Καὶ ἀπερ ἐχρῆν ἐμῶν εἰπεῖν, ὡς νέον πρὸς πεισβύτην, ἔ θεῶν ἑαυτῶν, ταῦτα ὁ πατεριάρχης πρὸς τὸν νέον ἔλεγε καὶ ἡμεῖς τοῖνυ μὴ πει τὰς ὑπερβηχίας ἡμῶν, ἢ τὰς ἐξ ἴσης ἡμῶν τυγχάνοντες μόνον ἀλλὰ τῆς πμῆς ἠπιδεξάμεθα. Τῶτε γὰρ ὅτε ἀν εἶη ταπεινοφροσύνη. Ἡ δὲ ἀληθ-

ἀληθῆς ταπεινοφροσύνη, ὅταν τοῖς ἐλάττοσιν εἶναι δοκῶσιν ᾤραχθεῖμεν, & ἐμείνας περιμῶμεν
 ἴς πολὺ κατὰ δεξιέρως εἶναι νομιζομένως. *Cogita quemadmodum senior juveni cesserit, & Patruus
 nepoti, & qui tantam à Deo sortitus fuerat Gratiam ei, qui nondum in ulla re magnum admodum
 virtutis specimen præbuerat. Que ille tanquam juvenis erga senem & Patruum dicere debuerat, hæc Pa-
 triarcha ille juveni loquitur. Nos igitur non tantum superiores & æquales honorare discamus. Hæc
 quippe vera humilitas non est. Vera autem humilitas in eo enitet, si erga eos, qui multum nobis in-
 feriores sunt, illos honoramus, qui longè nobis inferiores videntur. Eandem Abra-
 hami virtutem sic depingit Ambrosius de Abrahamo cap. 3. Mulcebatur Sanctus Abram Ne-
 potis præsentia, cui patrium affectum exhibebat. Incidit rixa inter servulos nepotis & Patruum. Advertit
 prudentia servulorum dissensionibus concordiam Dominorum solvi solere. Amputavit fibram discordia,
 ne contagium serperet; Tolerabilius enim putavit, ut copula sequestraretur, quam gratia dirimeretur.
 Quod te facere oportet, si forte in huiusmodi aliquod incidere, ut seminarium dissensionis auferas. Ne-
 que enim tu fortior quam Abram. Ille declinanda censuit, non despicienda servulorum jurgia. Quòd si
 tu fortior, cave ne alter, qui infirmior est, aurem præbeat famulorum susurris. Frequenter indivisa ser-
 vitutia apud Dominos ipsos discordiam serunt: divide potiùs ut maneat amicitia. Indivisa domus duos
 non sustinet. Nonne melius est migrare cum gratia, quam cohabitare cum discordia? Sicut vero lau-
 dem maximam meretur ea tum æquitas tum humilitas Abrahami: ita Lothi in eligendo
 tum ἀνὴρ δίκαιος tum imprudentia apparet. Sinistrè planè eligit terram natura quidem fe-
 licissimam, sed infelicissimam moribus incolarum. Neque tamen probandi sunt Hebræi
 satis iniqui in Lothum, fingentes ipsum ideo deflexisse ad Sodomitas, quòd simile simili
 gauderet. Interim Dei singulari providentiâ hæc separatio contigit, tum ut justus Lo-
 thus injustis concionaretur Sodomitis: tum ut Abrahamo facultas daretur virtutem suam
 probandi inimicis in liberando & vindicando Lotho: tum denique ut significaretur divi-
 sio posteritatis Abrahami in Israëlitis, & Lothi in Moabitis ac Ammoritis.*

XXVI. Abrahamo post separationem in locis campestribus Cananæorum commo-
 ranti denuo, adeoque nunc tertia vice apparet Deus, atque ei tum innumeram postero-
 rum multitudinem, tum dominium & possessionem illius regionis quaquâ verum obti-
 nendæ promissit. Verba Dei ad Abrahamum ita sonant: *Attolle nunc oculos tuos & vide à
 loco in quo es ad Aquilonem & meridiem & orientem & occidentem. Nam omnem terram, quam tu vi-
 des, tibi dabo & semini tuo usque in seculum. Ponam quoque semen tuum sicut pulverem terra: quia
 si poterit quisquam numerare pulverem terra, etiam semen tuum numerabitur. Surge, ambula per
 terram per longitudinem ejus & per latitudinem ejus: nam tibi datus sum eam, Gen. XIII. 14--18.*
 Augustinus q. 28. super Genesim non immeritò quærit, quomodo Deus, volens designare
 totam terram Canaan, dicat: *omnem terram, quam vides, tibi dabo.* Respondet autem hunc in
 modum: *sed nulla est questio, si advertamus non hoc solum esse promissum. Non enim dictum est, tan-
 tum terra tibi dabo quantum vides: sed tibi dabo terram, quam vides.* Deinde attendendum est, quod
 sequitur. *Nam ne putaret etiam Abram, hoc tantum terrarum sibi promitti, quod ipse oculis aspicere
 vel circumspicere potest, dixit ei Deus: Surge & per ambula terram in longitudine ejus & latitudine, quia
 tibi dabo eam: ut per ambulando perveniret ad eam, quam uno loco stans oculis suis videre non poterat.*
 Significatur autem ea terra, quam populus accepit Israël. Fieri tamen potest, ut Abrahamo Deus
 è monte aliquo excelso ostenderet totam terram promissionis, sicut è monte Phasga eam
 ostendit Moysi Deuteronom. cap. ultimo; & hac ratione vel conspiceret ille terram illam
 ab omni parte, quantum visus ferre poterat, eique diceretur, totam hanc terram & ultra
 quam visus ejus pertingeret, ei donandum esse; vel acies visus ejus intenderetur, ut to-
 tam terram promissionis distinctè conspiceret, quod & in Moysi factum videtur: vel cer-
 tè imagine aliqua ipsi tota illa terra representata fuit: quomodo & Diabolus Christo
 ostendit omnia regna mundi. Quod verò promittit Deus possessionem terræ Canaan
 עַלְיָוָה נָתַן נְתֻנָהּ notum est ea voce non æternitatem semper, sed longam aliquando duratio-
 nem denotari. Nam quòd Pererius & Tostatus inter alia etiam asserunt, promissionem
 Abra-

Abrahæ factam esse de terra Canaan in æternum possidenda, sub conditione tacita obedientiæ, recipi non potest. Promissio enim, qua Deus Abrahæ semini possessionem terræ Canaan pollicitus est, cum habuerit rationem *ἁγία* seu *testamenti*, uti S. Scriptura declarat, absoluta omnino fuisset, non à conditione mutabili suspensa.

XXVII. Post promissionem Divinam denuo confirmatam, Abrahamus *יֵאָהֵל וַיֵּבֵא* *movit tabernaculum suum* (ita vulgatus) *venit & habitavit juxta convallem Mamre, que est in Hebron, edificavitque ibi altare Domino*, Genes. XIII. 18. Vocem igitur *יֵאָהֵל* vulgatus convertit, *movens tabernaculum*. Ita Græci, *ἔπειτα κλυῶσας* *movens tabernaculum*. Contra Chaldæus *פרס* *tetendit tabernaculum*. Vulgato igitur & Græcis si credimus, Abrahamum post auditam promissionem statim ex loco, quo eam audivit, tentorium suum movit. Sin Chaldæo, eo loco, quo promissionem excepit, tentorium tetendit. Et prius quidem verisimilius est. Neque enim videtur Abrahamus accepto mandato surgendi & perambulandi terram, expandisse demùm eo loco tabernaculum, sed potius promissionem mandatūque fide amplexus statim se ad perambulandum terram accinxisse. Assentior tamen magis Arabi ita interpretanti: *פנים אבראים מרחלה מרחלה אלי אן כנא* *Fixit Abraham tentoria diversis in diversis, donec venisset & habitasset in terra Mamre*. Sed quis locus *אלונה ממרה* *Elone Mamre*, in quo Altare Abraham ædificasse Domino dicitur? vulgatus reddit *Convallem Mamre*. Septuaginta rectius *δρῶν quercum*. Eodem modo Syrus. Mamre autem Genes. XIV. 13. statuitur Amorrhæus frater Escol & Aner, quibuscum fœdus Abrahamus percussit. Videtur autem is Mamre querceti illius, in quo habitavit Abrahamus, fuisse fator vel dominus. Dicitur autem *Elone Mamre*, sita *בְּחֶבְרוֹן* non tam *in Hebron*, uti Vulgatus & LXX. Interpretes, alii que habent, quàm *juxta Hebron*.

XXVIII. In Elone Mamre moram tracturus Abrahamus, ante omnia altare ibidem fruxit Domino. Quam ejus perpetuam consuetudinem fuisse, notat Chrysostomus in Genesin homil. 34. hisce verbis: *καθ' ἑκαστον τόπον, ἐνθα κατεσκηνῆκε, εὐρησεις αὐτὸν τῆς πρὸς πάντων θεοπροσελπίμενον, καὶ θυσιαστήριον οἰκοδομῆσθαι, καὶ πᾶς εὐχὰς ἀναφέρειν, καὶ ἀποστολικὸν νόμον πληρῆνθαι ἢ κελύσονθαι, ἐν παντὶ τόπῳ ὄχραζε, ἐπαίροντας ὁσίας χεῖρας*. *Omni in loco, in quo habitavit, inveniens ipsum hoc ante omnia operam dedisse, ut altare edificaret & preces funderet, memor legis Apostolica, qua jubet omni in loco precari & puras manus extendere*. 1. Tim. II. 8. Eodem loco videtur fœdus inivisse cum tribus Viris Mamre, Escol & Aner, qui vocantur ejus *בְּרִית בעלי* *συνωμόται* *fœderati* Genes. XIV. 13. Quale fuerit fœdus illud, quaeritur. Et Boulducus quidem non veretur asserere, fuisse religiosum, *de Eccl. ante Legem* lib. III. 3. Nempe tres hos Viros fuisse ex filiis Heber, adeoque sectam Hebræorum, institutæ sodalitatæ religiosæ Hebræorum quorum Pater & archimandrita fuerit Heber, qui tum juxta Jerusalem habitaverit in *valle Save*, id est, in valle collegii, puta religiosi profectos. Atque ex hoc fœdere religioso nomen *העבריים* *Hebræi* Abrahamum sibi primum sumpsisse. Inde etiam eosdem fœderatos Genes. XIV. 24. vocari *אנשים* *Enoscheos*, quorum secta eadem fuerit cum secta Hebræorum. Verùm hanc de ordine seu secta religiosa Hebræorum fabulam confutavimus Exercit. I. 15. Abrahamus tres hos fœderatos, Mamre, Escol & Aner perrexisse secum ad bellum profitetur Genes. XIV. 24. At religiosæ societatis actum ne unum quidem Moses memorat. Ex quo abundè liquet, fœdus isthoc merè civile, & auxiliare, quod *συμμαχίαν* vocant Græci, non religiosum fuisse. Ex eodem loco, *Ε lon Mamre* nimirum, Abrahamus profectus pulchram & spectabilem victoriam in Pentapolitanis patravit. Nam cum paucis armatis servis ac vernulis, & quibusdam auxiliatoribus, quorum duces erant Aner, Escol & Mamre, magnis confectis itineribus circa Danem noctu cæcidit exercitum quatuor Regum, qui spoliatis

Sodomis & prædis ingentibus actis, Lothum quoque, qui ibidem sedem fixerat, captivum cum facultatibus ejus abduxerunt. Cujus belli historiam peculiari exercitatione edisserere constituimus.

XXIX. Post bellum cum exteris Regibus gestum, Abrahamo in Elon Mamre denuo, adeoque quarta nunc vice apparet Dominus, & tum eum in terra aliena peregrinum adversus metum injuriarum confirmat, tum partem promissionis ipsi antehac factæ de semine ipsius multiplicando instaurat, uti ex Genesios cap. XV. apparet. Ea nempe exterorum apud indigenas conditio est, ut de malis ipsorum percipiatur lætitia, de lætibus doleatur invideturque, denique omni tempore multi dent operam, ut stantes dejiciantur, labentes propellantur, labentibus insultetur, & fabula ac ludi sint omnium, ubi corruerint. Cum igitur Abrahamo extero metus impendere videretur minimè vanus tum ab exteris, tum à Regibus potentissimis, quos bello adortus cæciderat, tum ab odio incolarum inimicitias erga ipsum exercentium, tum denique ab invidentia eorum, qui se amicos ipsi professi fuerant: propterea commodissimo tempore, statim nimirum post patratum prælium, ipsum Dominus in visione confirmatum ivit adversus quemcunque, qui animum ipsius coxerat, metum. Verba Dei sunt: *אל תירא אנכי אנוחך לך שכרך*: *Ne timeas Abram, ego scutum tibi, merces tua multa valde*, Genes. XV. 1. Ubi partim adhortatur Deus Abrahamum, partim ipsi cavet. Adhortatur verbis: *Ne timeas*. Et si enim in speciem videtur à metu duntaxat dehortari, certum est tamen, contrariam his verbis inesse hortationem, ut abjecto omni metu bono animo sit, fiduciamque sibi sumat, quamvis multis gravibusque malis ipsum circumquaque circumfidentibus. Cavet autem ipsi tum ab omni malo, sic promittens: *Ego scutum tibi ero*, tum de omni bono, ne quicquam intervertentibus & impredientibus pro virili omnibus tum indigenis, tum exteris, dicens: *Merces tua magna valde est*. Et prior quidem cautio exprimitur similitudine rei militaris, nimirum clypei, passim usitata in Scripturis. In Græco est, *ἐγὼ ὑπερασπίσω σε*, *ego protego te*. Eodem modo Syrus. Sed Chaldæus *אשר אציליך*: *ממרו חקוק לך*: *Sermo meus erit fortitudo tua*. B. Chryostomus homil. 35. in Genesin, vocis emphasin sic illustrat: *Ἐστὶν ἡ φωνή, ἐγὼ ὑπερασπίσω σε. πολλὴν ἔχει καὶ αὐτὴ ἡ λέξις ἢ ἔμφασιν. Ἐγὼ ὁ ὕψος τῆς Καλδαίων σε ἀναστήσας, ἐγὼ ὁ ἐν ταῦτα σε ἀγαγὼν, ἐγὼ ὁ τῶν κινδύων τῶν ἐν Ἀγυπτῷ ἐλθούσων σε, ἐγὼ ὁ καὶ ἀπαξ καὶ διδύπερον ὑποσχόμενός σοι καὶ τῶν σπέρματί σου δώσειν τὴν γῆν ταύτην, ἐγὼ σε ὑπερασπίσω, τὸ ἴσον. ἐγὼ ὑπερασπίσω, ἐγὼ ὑπέροχον γίνομαι, ἐγὼ φρονίζω, ἐγὼ πέναντι δυσχερῶν, δύκολα σοι καθίστημι. Postea dicit: ego protegam te. Magnam hæc dictio emphasin habet. Ego qui te ex Chaldaea excitavi, ego qui te huc deduxi, ego qui te ex periculis in Ægypto eripui, ego qui semel atque iterum promisi, daturum me semini tuo terram hanc, ego ille te protego, hoc est, ego pro te pugnam omnem suscipio, ego tui curam gero, ego difficillima quæque tibi facillima reddo. Altera verò cautio de bonorum amplitudine ad Abrahamum perventura, simile habet à re sive forensi sive communi omnium, qua Deus Abrahamo spondet, quamvis neque de inimicis victis commoda ulla perceperit, neque ab amicis oblata, neque ab indigenis debita, sed in his rebus omnibus sese quàm liberalissimè gesserit, atque regio animo mercedem omnem contempserit; Deum tamen minimè passurum, ut sine mercede tantum beneficium in cognationem suam & gentem exteram contulerit. Hunc sensum etiam affecutus est B. Chryostomus l. c. *Ὁ μισθός σου πλὴν ἕσασφόδρα. ὅσα ἡ ἐκλήθης μισθὸν λαβεῖν ὑπὲρ τῶν καμάτων, ἃν ὑπέμενας τέτοις κινδύοις ἑαυτὸν ἀσραβαλὼν, ἀλλ' ὑπερέδεις καὶ τῆς βασιλείας, καὶ τῆς παρ' αὐτῶν δεδομένων. Ἐγὼ σοι παρέξω τὸν μισθόν, ἢ τοσούτον, ὅσον λαμβάνειν ἔμελλες, ἀλλὰ πλὴν, καὶ σφόδρα πλὴν. Merces tua magna valde erit. q. d. Non iustitiam accipere mercedem laborum tuorum, quos sustinuisi periculis hisce te ipsum obijciens, sed despexisti & Regem, & ea quæ oblaturus ipse eras. Ego tibi mercedem refundam non ejusmodi, quam ibi accepturus eras, sed magnam, & magnam valde. Atque hæc interpretatio pluris esse nobis debet, quàm illa**

illa vulgata, *Ego sum merces tua magna valde*. Nam si Deus, uti rectè arguit doctissimus Junius, ita dixisset, & Abraham Dei sermonem accepisset, nunquam fuisset dicturus illico Abraham: *Domine Jehova quid daturus es mihi?* Sed pro pietate sapientiæque sua acquievisset amplissimæ illi promissioni Dei, neque supra Creatorem se ipsum dantem pro mercede ipsi fuisset desideraturus quicquam. Proinde sic etiam interpretantur reliqui Orientales ad unum omnes.

XXX. Mercedem amplissimam, quam promittebat Deus, tantum non detrectabat Abraham, eò quòd careat justis hæredibus, ad quos merces illa transportari queat, uti quaeritur v. 2. & 3. Recusat mercedem his verbis: *Domine Jehova quid daturus es mihi?* q. d. Planè non posco, sed præsentibus rebus facilè acquiesco, pietatem cum *אֲבָעָא עֲרִירִי* magnum satis lucrum reputans. Rationem addit: *cum tamen ego אֲבָעָא עֲרִירִי abeam improles.* *אֲבָעָא עֲרִירִי וְכֵן מִשְׁק בֵּיתִי הוּא דְמִשְׁק אֱלִיעֶזֶר* & filius procuratoris domus meæ est Damascenus ille Eliezer. *En mihi non dedisti semen, & ecce filius domus meæ hæres meus est*, Genes XV. 2. 3. Mens ejus est. Promissionibus tuis & hæredem & hæredis commoda mihi pronuntiaveras. Nunc verò quid opus est amplioribus commodis, cum illa promissio de hærede meo peccato quasi extincta sit, & alium jam hæredem adoptaverim, de genuino despondens animum, filium nimirum procuratoris domus meæ, Damascenum Eliezerem. Cæterum quid sibi velit illa vox *מִשְׁק בֵּן* & quis fuerit ille Eliezer, quaeri possit. Et vocem quidem *מִשְׁק*, quod attinet, Vulgatus reddit, *filium procuratoris domus Abrahamicæ*; Aquila, teste Hieronymo Quæst. Hebr. *ὁ υἱὸς τῆς ποτιζούσης* filius potum dantis, seu pocillatoris, seu pincer-nae. Theodotio *ὁ υἱὸς τῆς οἰκίας μου* filius ejus qui super domum meam est. LXX. Seniores *υἱὸς Μασέκ* filius Masec vernacula mea. Quasi videlicet *מִשְׁק* non significativa sed propria vox esset, filii à matre vernacula Abrahami progeniti. Syrus videtur omisisse, vel eandem vocem fecisse cum *מִשְׁק*. Ita enim convertit: *וְאֱלִיעֶזֶר דְּרַמּוֹסְקִיָּא בְּרַ פְּרַנְסָא הָדָן דִּי בְּבֵיתִי הוּא* Et Eliezer Damascenus domesticus meus. Chaldæus *בְּרַ פְּרַנְסָא הָדָן דִּי בְּבֵיתִי הוּא* *מִשְׁק אֱלִיעֶזֶר* Filius gubernator ille qui in domo mea est, ipse est Damascenus Eliezer. Arabs *Gubernator domus meæ*. Non dubito, quin vox sit appellativa potius quàm propria, cujus significatus nobis ex Arabia arcessendus. Apud Arabes enim *מִשְׁקָא* significat *curam*. Proinde *מִשְׁק בֵּית* notat *curatorem, procuratorem domus*. Ludit Boulducus, qui *מִשְׁק בֵּית* vertit *filium urticae domus Abrahamæ*, hoc est filium urticae domus. Quæ quidem periphrali breviter & eleganter describi ait *domus & habitacula Hebræorum & Filiorum Dei, quæ in tabernaculis translatis erant, & plerunque in locis desertis inter vepres, spinas & urticas figebantur, super quas vel juxta quas Propheta dormientes Divinas sæpe in somnis visiones & revelationes accipiebant*. Proinde filium *urticae domus* dici Eliezerem, vel quia in tali loco ab Abram in Deo genitus est, vel quia de societate & familia eorum est, qui habitant & psallunt inter urticas & vepres, de Eccl. ante legem Lib. III. 4. Ita impudenter somnia sua venditare nobis audet Monachus. Semel quidem *מִמִּשְׁק* notat vepretum, nimirum Tzeph. II. 9. At *מִשְׁק* *urticam* nuspam significat. Sicut Hebræorum peculiaris secta, quam nobis obtrudere conatur, ita domus & habitacula Hebræorum in locis desertis inter vepres & urticas defixa, fabulosa planè & comentitia censerì debent. Quòd verò Eliezer ille filius curatoris Abrahamicæ domus vocatur *מִמִּשְׁק* æquè minùs planum & expositum est. Bonfrerius voce *מִמִּשְׁק* negat aliud significari, quàm quòd præcedentibus illis verbis significatur, *filium procuratoris*. Nam *מִמִּשְׁק* idem esse quòd *sanguis Meshek* seu *procuratoris*. Nimis autem notum esse illud, filium dici sanguinem Patris, ut in illo Virgiliti Æneid. 6. *Projice tela manu sanguis meus*. Verum utut apud Latinos insolens non sit *sanguinem* dici pro *liberis*: apud Hebræos tamen significatus hic non obtinet, ne in simplici quidem voce *מִמִּשְׁק* nedum in ejusmodi compositione. Præterea *מִמִּשְׁק* ubique *Damascum* vel *Damascenum* notat. Non dubito igitur, quin *אֱלִיעֶזֶר* Eliezer sit nomen proprium illius filii procuratoris domus Abrahamicæ; *מִמִּשְׁק* *Dammesbek* autem gentile vel patrium, sive quòd natus esset in agro Damasceno, sive quòd Pater ejus Damascenus fuisset,

fuiſſet, quod veriſimilius. Videtur enim Eliezer ille fuiſſe verna Abrahami. Idcirco conditionem ſuam deplorat, quòd vili mancipio omnia relicturus eſſet, ſi orbus maneret. R. Solomon Jarchi לפי התרגום מדרש חירא ולפי מדרש אגדה שודף המלכיות ער דמישק *Juxta Thargum Damaſebek dicitur, quia ex Damaſco oriundus, & juxta Midraſch Agada, quia perſecutus eſt Reges Damaſcum uſque.* Boulducum, qui hic ſolemnia infantis, & Eliezerem hunc Regem Damaſci facit, Abrahami ex Damaſco in Cananæam ob ἀμύμων πρίν comitem, ſupra expoſimus. Tam ille audiendus, quàm λεγούδεις Hebræi, fingentes, quod Eliezer hic antea fuerit ſervus Nimrodi, & poſtmodum factus Rex Baſan Og, cujus menti fit Num XXI. 33. De quo ſtolidas proferunt fabulas, quomodo in caltra Iſraelitarum voluerit projicere montem trium miliarium; cumque eum excutere vellet, illi fuiſſe dentes ejus impactos, poſtmodum Moſen ſecuri decem cubitorum amputaſſe ejus talos. Vide in Berachot cap. 9 fol. 54. nec non Schalſchel. Hakab. p. 7. ubi allegatur ſententia eorum in Midraſ, qui Eliezerem huic ipſum Canaanem filium Chami faciunt. Quæ quidem omnia fabularum officinam olent.

XXXI. Cæterum in hac reſponſione Abrahami, qua mercedem promiſſam detrectat, eo argumento, quòd prole careat, & alienum jam hæredem inſtituerit; videtur nonnihil periclitari ejus fides. Nam jam antea Deus promiſerat ei non tantum terram, verum etiam ſemen, adeoque propriam prolem. Annon igitur diffidentiaſ ſpeciem habet, quòd alienum hæredem inſtituit, & de proprio fere animum deſpondit? Reſpondent veteres quidam, Deum quidem antehac promiſiſſe Abrahamo ſemen, verum quale ſemen ipſi daturus eſſet, proprium an adoptivum, corporale an ſpirituale, non expoſuiſſe. Verum non ſatisfacit illa reſponſio. Neque enim credibile erat, Deum promiſiſſe Abrahamo poſteritatem legalem & adoptivam, cum diſerte ei dixerit, Genef. XIII. 15. *Omnem terram, quam tu vides, tibi dabo, & ſemini tuo uſque in ſeculum.* Magis aſſentior B. Chryſoſtomo, qui homil. 35. eâ de re lic diſſerit. Της λογιſμῶς τῆς ἐξέφωσεν ἐν τῇ ἀγεννοίᾳ, ἡδέποτε ἐδουλόεσθαι, ἡδέποτε βαρῦτι ἐφθόγγεσθαι. Ἀλλὰ καὶ νῦν προτεταπει; ἐκ τῆς πρὸς αὐτὸν ῥημάτων, παρρησιάζεται πρὸς τὸ δεσποτῆν, καὶ τῆς ἐνδοξεν λογιſμῶν τῆς ταρχεῖν καὶ ταδηλον ποιεῖ, καὶ δεικνυσι τῆς ψυχῆς αὐτῆς τὸ ἔλκεσθαι δι' ὃ καὶ ταρχεῖν τῆς ιατρειᾶν εἰδέξατο. *Cogitationes hæſce volvens animo ſuo, nequaquam addubitavit, nec grave quid elocutus eſt. Verum etiamnum provocatus ſermonibus ad ipſum factis libertate loquendi uſus erga dominum, cogitationum ſuarum perturbationem manifeſtam fecit, & anima ſua vulnus demonſtravit, propter quod etiam expeditam medicinam recepit.* Sunt igitur verba hæc Abrahami ad Deum facta potiùs obliquæ preces, quas fudit ad Deum de ſemine promiſſo ſibi repræſentando, quàm immodicæ expoſtulationis vel diffidentiaſ argumentum. Quafi diceret; Quorum verò mihi tot bona, quæ liberaliter promittis, ſi prole perpetuo delituar? An ut ea relinquam vernæ meo? Atqui tu benedictionem promiſiſti in ſemine meo omnibus terræ familiis: Tempus eſt, ut non differas diutius id, ſine quo reliquæ benedictiones irritæ ſunt. Neque tamen hanc querelam ab omni infirmitate & tentatione diffidentiaſ excuſari poſſe arbitramur. Omnia tamen Deus benigniorem in partem accepit, qui ſervi ſui animum probe inſpexerat, noveratque non tam plena diffidentiaſ, quàm affectus hæc eſſe verba.

XXXII. Huic orationi Abrahami tribus modis reſpondet Deus, promiſſione, ſigno, & fœdere. Promiſſio ita habet: *Hic non erit hæres tuus, ſed qui egredietur de viſceribus tuis, ipſe hæres tuus erit. Suffice nunc Cælum & numera ſtellas, ſi poteris numerare eas. Sic erit ſemen tuum,* Genef. XV. 4. 5. Promittit hæredem ſuum, uti vocant J. C. qui ex ipſomet quamvis effœto natiurus; nec non ingentem poſteritatem ex eo ſemine, æque innumerabilem, atque ſunt ſtellæ Cœli. Similitudo illa à ſtellis cœleſtibus petita non flagellanda nimis eſt, uti faciunt, qui ſtellas ab Aſtrologis ſubduci poſſe putant, & numero earum inito repertas eſſe in univerſum mille & viginti duas. Eſt enim hæc proverbialis locutio, quæ utuntur etiam Scriptores exotici. Ita Catullus: *Aut quam ſidera multa cum tacet non.* Et alibi: *Ille*

pulveris Erythraei siderumque micantium subducatur numerum. Ovidius: *Quot Caelum stellas.* Si tamen ἀρεβολογῆν lubet, reverâ etiam innumerabiles sunt stellæ. Ita enim David facultatem numerandi stellas Cæli Deo facit eximiam Psal. CXLVII. 5. מוֹנֵה מִסְפֵּר לְכּוֹכָבִים. *Qui numerat numerum stellarum.* Neque necessum est dicere cum Hebræis, post tempora demum Abrahami numeratas esse stellas ab Astrologis, quarum numerus tempore Abrahami subductus nondum fuerit. Revera enim, uti David profitetur, solius Dei est numerare stellas. Quamvis enim subdlexerint Astrologi, Ptolomæus, Hipparchus, alii, numerum syderum ex pluribus stellis conflatorum, stellas tamen ipsas nec potuerunt numerare, nec omnes etiam videre, ne in suo horizonte quidem. Fatentur id ipsum quoque Philosophi, Plato in Timæo, Aristoteles lib. I. de Mundo, Seneca Natural. quæst. VI. 16. quos Pererius citat in Genesin lib. II. q. 8. ubi Scripturas cum Astrologorum sententia conciliari nititur. Porro quod innumerabile semen Deus promittit Abrahamo, pertinet non ad carnale tantum semen Abrahami, quod ex lumbis ejus fuit, imprimis illud quod postea legi subjectum fuit, verum ad spirituale, puta ad σοιχαῖνας τοῖς ἰχθεσι εἶ ἐν τῇ ἀκροβυστία πίσεως ἔ πατρός ἡμῶν Ἀβραάμ, *incedentes in vestigiis fidei Abrahami Patri nostri adhucdum in præputio existentis*, uti explicat Paulus Rom. IV. 12. Et V. 16. afferit, confirmari promissionem hancce Dei in omni semine Abrahami, εἰ τῷ εἰν ἔ νόμος μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ εἰν πίσεως Ἀβραάμ, ὅς ἐστι πατήρ πάντων ἡμῶν, *non eo tantum quod ex lege est, sed & in eo, quod ex fide Abrahami est, qui Pater est omnium nostrum.* Neque spirituale semen hic intelligi juxta allegoricum duntaxat sensum, uti interpretantur Pererius, Bonfrerius, aliique commentatores Papistæ, inde apparet, quod Paulus negat stabiliri posse illam promissionem in semine solo carnali, quod legi postea subjectum est. *Si enim, ita argumentatur disertè, v. 14. qui ex lege hæredes sunt, κενένωται ἡ πίστις, καὶ κατήργηται ἡ ἐπαγγελία, exinanita est fides & abolita promissio.* Et tum fidem, qua Abrahamus, uti statim videbimus, promissionem acceptavit, tum promissionem non tam βεβαιῶσαι stabiliri, quàm exinaniri & evacuari, si qui ex lege, hoc est, semen carnale legi subjectum, duntaxat hæredes sint, probat fortissime Apostolus. Etenim fidem evacuari hac ratione demonstrat, *quia lex operatur iram, adeoque evacuat fidem, v. 15.* Sanè ira incumbens peccatori propter transgressionem, & fides remissionis peccatorum, imputata ad justitiam, sunt planè ἀσύμβατα. Legem porro operari iram, demonstrat eo argumento, quod ubi Lex non est, ibi nec transgressio, quæ videlicet imputatur ad damnationem. Proinde lex operans transgressionem, seu ejus imputationem, eadem operatur iram. Jam & promissionem reddi irritam, si qui ex lege sunt, reputentur hæredes, probat, quia ex quo non datur hæreditas omni semini, ex eo dari hæreditatem pugnat cum promissione. Atqui non ex lege, sed ex fide dari hæreditatem omni semini, ostendit, quia aliàs non κατὰ χάριν, *secundum gratiam* daretur hæreditas. Patet igitur, Deum promississe Abrahamo semen duplex. Unum ex lumbis ipsius, cujus parti cessit hæreditas terræ Canaan, quæ pars seminis ipsius circumcisionem & legem accepit, & in qua etiam fuerunt hæredes justitiæ & mundi. Alterum fideles omnium familiarum terræ, insistentes vestigiis fidei Abrahamicæ.

XXXIII. Promissioni huic Abrahamus fide simplicissima acquievit. De quo ita Moses: וְהֵאֱמִין בַּיהוָה וַיַּחְשְׁבֶהָ לוֹ צְדָקָה. *Crediditque Jehova, & imputatum est ei ad justitiam, Genes. XV. 6.* Duo hic quæri possunt: *qualis hæc fides Abrahami fuerit: & quo sensu ei ad Justitiam imputata fuerit?* Prius quod attinet, dicitur Abrahamus credidisse וַיַּחְשְׁבֶהָ לַיהוָה, *Domino*, nempe promittenti semen, & interprete Paulo Rom. IV. 5. δικαιῶθη τὸν ἀσεβῆ, *justificanti impium.* Quæ fides non poterat non ferri in Christum, benedictum semen Abrahami, & benedictionis omnis causam, unicum hujus promissionis nucleum. Idque probari potest certis rationibus. Etenim primò semen promissum interpretatur de ipso Christo

fito Paulus Gal. III. 16. Creditur igitur Abrahamus, in femine promisso contineri Christum causam omnis benedictionis. *Secundò* Abrahamus creditur ei qui justificat impium. At qui Deus non justificat impium, nisi in Christo, & propter donationem justitiæ ipsius. *Tertio* idem Paulus docet, promissionem obtigisse Abrahamo *καὶ δικαιοσύνης πίστεως, per justitiam fidei* Rom. IV. 13. Porro Justitia fidei non fertur nisi in Christum Rom. X. 6. 7. 8. *Quartò* ea fides imputata est Abrahamo ad justitiam. Atqui nemini fides imputari potest ad justitiam nisi credenti in Christum, & *δωρεάν τὴν δικαιοσύνης, donum justitiæ* ejus per fidem apprehendenti. *Quintò* fidem Abrahami proponit Apostolus tanquam exemplar fidei, qua omnes credentes benedicuntur & justificantur. Atqui fides reliquorum salvandorum *κατέως* fertur in Christum. Quòd si igitur Abrahamæ fides Christum non respexit, regula & exempla inter se non consentient.

XXXIV. Quo verò sensu Abrahamo fides imputata fuerit ad justitiam, ulterius inquirendum. Verba Mosis sunt, *יחשבה לו צדקה* imputavit eam ipsi ad justitiam. Ita enim verbotenus verti possunt. Jam primum extra controversiam ponimus, Deum imputasse fidem Abrahamo ad Justitiam, non Abrahamum Deo imputasse ad justitiam eam mercedem, quam ipsi promisit, uti fabulantur inter Hebræos nonnulli. Quam tamen corruptelam non desunt inter ipsos Hebræos qui confutent, eò quod *יחשבה* non possit nisi ad Dominum referri, cum relativum necessariò sit referendum ad vocem *אמונה* fidem, quæ in verbo *האמין* includebatur. Sic enim passim in verbis includuntur nomina fœminea ab illis deducta, ut affixum fœmineum sequens eò sit referendum. Deinde nec hic sensus est Mosis, fidem Abrahamo reputatam esse pro egregio facinore. Quem sensum videtur tenuisse interpret Arabus, qui sic convertit. *האמן באללה וכתבה* Et credidit Domino, & scripsit id illi in opus bonum. Eodem tendit illa expositio Jarchii, *הק"ב בת חשבה לאברהם לזכות ולצדקה על האמנה שהאמין בו*

Sanctus benedictus ille imputavit eam Abrahamo ad justitiam, & meritum, fidem nempe, quia credidit ei. Sed & Origenes perfectam fidem fuisse in Abrahamo somniavit, quæ mereretur ad justitiam reputari, quoniam, inquit, non ei, qui ex parte, sed ei qui perfecte credit, fides ad justitiam reputatur. Colludunt cum veteribus Justitiaris Hebræis tum Sociniani tum Papistæ; quorum illi fidem habitam promissioni de vocatione gentium & multiplicatione generis, Abrahamo imputatam esse, ad justitiam, hoc est, fidem tanquam initium obedientiæ ei reputatam esse per acceptilationem, uti nuncupant J. C. pro plena justitia justificante, contendunt. Hi verò, uti Saliani verba recenseam, *hoc tam insigni actu fidei promeritum esse Abrahamum Justitiam & sanctitatem ampliorem* (seu ut alii loquuntur, justificationem secundam, in justitiæ incremento consistentem) adeoque accessisse hunc virtutis fidei actum ad ceteros multarum virtutum actus, quos jam plurimos exercuerit, & cum illis computatum & connumeratum esse ad coronam, asserunt. Quibus omnibus si credimus, fides tanquam insigne aliquod opus Abrahamo ex quodam merito computata & connumerata fuerit ad cumulum reliquarum virtutum, seu justitiæ propriæ & inhærentis. Nos autem nulli dubitamus, quin fides illa Abrahami, quæ pro objecto habuit Christum Salvatorem, uti jam probavimus, ei imputata fuerit ad justitiam, hoc est per *μετάληψιν*, Christus ipse, fidei illius objectum, & ejus meritum ipsi ad justitiam, qua coram Deo justificatus est, imputatum fuerit. Neque enim fides Abrahami imputata ipsi ad justitiam opus fuit, cum operanti merces imputatur, *ὃ τὸ χάριον, ἀλλὰ τὸ ὀφείλημα, non secundum gratiam, sed secundum debitum, credenti verò secundum gratiam*, uti arguit Apostolus Rom. IV. 4. Cui sua fides imputetur Justitia, sive cujus fides judicatur esse id, cum quo jus petendi mercedem connexum est, ei manifestum est fidem imputari justitiam non operanti. Si enim operanti demum imputatur justitia, atque ita opus reputatur justitia, utique fides non imputatur justitia. Sic v. g. Saulus edixerat, qui Goliathum occideret, eum generum suum fore. Credebant id Israëlitiæ omnes. Neque tamen utli Israelitarum jus erat petendi filiam Regis, nisi qui monomachum Goliathum occidisset. Nempe

operanti non credenti hoc jus Rex addixerat. At secus planè habuisset, si credenti hoc jus addictum fuisset. Sic igitur cui credenti imputatur Justitia, ei non operanti imputatur, & vice versa. Cum ergo Abrahamo credenti imputata sit justitia, utique non operanti imputata est, adeoque fides ipsius non fuit opus, quod reputari posset pro parte justitiæ. Accedit deinde assertio Pauli V. 5. *Ei qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, reputatur fides sua ad justitiam.* Unde patet, eum, cui fides imputatur ad justitiam, credere in Deum, qui justificat impium, sive reum & damnatum. Id si verum est, quomodo fides ut opus computatur pro parte vel incremento justitiæ propriæ, & non potius credenti in Christum imputatur justitia Dei, hoc est peccatori justitia aliena donatur? Idque porro ex ipsa historia Abrahami luculentissimè colligi potest, ne Judæi Apostolum ita interpretantem accusare possint. Dixerat Deus ad Abrahamum. *Noli metuere: Ego clypeus tuus, & merces tua magna valde.* Nihil aliud credere poterat Abrahamum, quàm Deum sibi clypeum esse, & mercedem magnam præparasse. Id credendo justus fuit. Jus enim habuit petendi à Deo defensionem adversus omnem accusationem & vim, & maximam adeò hæreditatem, fidei suæ fructum. Atqui ea fides nec opus fuit, quod quisquam promereri posset, nec computari potuit pro justitiæ propriæ parte, vel justitia universali propria. Sic enim judicium Dei non fuisset secundum veritatem. Restat igitur, ut fides illa, sive id quod credidit, Christus nempe, semen ipsi promissum, ejusque meritum & obedientia, ipsi imputata fuerit ad justitiam. Præterea, si obtineret interpretatio illorum, justificatus fuisset Abrahamus ex operibus, & habuisset καύχημα gloriationem coram Deo, quod utrumque disertè negat Apostolus. Denique si fides Abrahamo est imputata ad justitiam, seu ut præclarum opus reputata pro justitiæ parte vel justitia universali propria, quidni alia etiam opera, & virtutes Abrahæ venirent in censum justificationis, quales sunt desertio Patriæ, liberatio Lothi captivi, immolatio filii. Atqui Apostolus justificationem Abrahami soli fidei adscribit. Atque ex his rationibus colligimus, Abrahamum justificatum esse per solam fidem, hoc est propter justitiam Christi ipsi imputatam & fide certa apprehensam.

XXXV. Neque contra nos proficiunt argumenta, quæ huic S. Literis analogæ explicationi obijciunt οἱ ἐξ ἐναντίας. Primò trlicantur in voce imputandi. Negant eam vocem vel Mosi vel Paulo adhibitam esse. Nam Mosen quidem vocem שׁחן putare, cogitare; Paulum verò λογίζεσθαι, putare, aestimare, non ἐπιλογεῖν imputare, usurpasse. Ita Sanderus alique Sophistæ clamant. Secundò negant nunc demum Abrahamum justificatum esse, post liberatum Lothum, & promissionem Divinam fide receptam, cum jam antea & fidelis & obediens fuerit. Tertio de opere Pinehasi eodem modo dicere Davidem לו שׁחן וְלֹא לְצַדִּיק וְהוּא יְלֹוֹגֵם אֵת אֵלֶּיךָ עַד דִּמְאִיסוֹנִיכוּ Ps. CVI. 31. Neque tamen inde sequi, quod eo opere & solo quidem justificatus fuerit. Verum ea argumenta nihil omnino soliditatis habent. Non primum, quod in vocabulis hæret sine fructu. Neque nos illi voci imputandi mordicus inhæremus, sed rem potius significatam spectamus. Igitur τὸ λογίζεσθαι & שׁחן sive putare dicas, sive imputare, sive aestimare, sive deputare, perinde nobis est, qui existimamus, tam consideratè locutum esse Apostolum, ut nisi nobis ipsis imponere velimus, non possimus ex ejus verbis aliud elicere, quàm id ipsum, quod significamus, cum hac voce imputandi utimur. Sanè etiam Jesuita Salmero tract. 30. in Epist. ad Romanos, observat, voces Latinas reputare, imputare, accepto ferre, deputare, uni soli Græcæ voci λογίζεσθαι respondere. Et Gabriel Vosquez in primam secundæ tomo 2. disp. 132. num. 4. disertè λογίζεσθαι significare Latine imputare adseverat. Neque vetus interpres vocem λογίζεσθαι dubitavit convertere per imputare. Nempe λογίζεσθαι ut ut simplex, tamen cum dandi casu constructum vim habet compositi ἐπιλογεῖν. Adeoque λογίζεσθαι πνί idem est quod ἐπιλογεῖν. Unde apud Varinum in λογίζομαι legere est: τὰ τῶν πᾶσῶν ἀμαρτημάτων ὁ Θεὸς τοῖς πατερί-

tum illum sacrificiorum Deus abominaturum se prædixit. Respondent igitur alii, non tam dubitasse Abrahamum de promissione sibi facta, quam de ejus implendæ modo, ordine & tempore. Ita Chrysoſtomus homil. 35. in Genesim, Abrahamo dicenti; *In quo cognoscam*, tribuit hæc verba: *’Ουχ οἰόν τε με ἀγαπήσῃσαι, ἀλλ’ ὁμῶς ἐβελόμην καὶ τὸ κρέσσον μαθεῖν, πῶς αὐτῷ μέλλω κληρονομεῖν. οὐδὲ γὰρ καὶ ἐμαυτὸν λιμπὸν πρὸς γῆρας ἐληλάκησα, καὶ μέγας τῆ παρόντι ὡς ἀλήθειαν ἐν ταῖς ἀγαθὰ περιόντα. καὶ εἰ δὴ δύναμαι ἀνθρώπινῳ λογισμῷ καταλαβῆναι τὸ ἐσόμενον. Εἰ καὶ, ὅτι περιλαβὼν φησιν, ἐπίσθισαι τοῖς εἰρημέοις, ὅτε δὴ ὡς πρὸς σε λεχθήεις, ἔδωκαμένον ἐστὶν ἔμὴ ὄντι εἰς τὸ εἶναι πρὸς ἀγαθὸν, καὶ πάντα ποιῆντι καὶ μετασυστάζοντι εἰς τὸν ἀπίστον τῶν ἐρωτῶν, ἀλλ’ ἐπεὶ πάλιν τὴ κληρονομίαν ἐπέμνησας, ἤθελον καὶ παχύπερόν τι σημεῖον καὶ ἐνεργὲς δέξασθαι τὸ δωδόμενον μηδὲ λογισμῶν πλὴν ἀδένειαν ἀπὸ πρῶτα. Haud equidem quod non habeam tibi fidem, hoc quero: sed simul etiam volebam perdiscere modum, quo terram illam herediturus sim. Video enim me ab extrema senectute non procul abesse, & hucusque in terra illa tanquam peregrinum seu erronem vagari. Neque humana ratiocinatione assequi possum id, quod futurum est. Haud equidem dubitare possum de iis, quæ abs te dicta sunt, cum sciam te ex nihilo produxisse omnia & posse quicquid velis, neque quicquam voluntati tuæ obfistere. Interrogo igitur non ut incredulus, sed quia iterum hereditatis hujus meministi vellem equidem crassius aliquid & certius signum accipere, quod infirmas cogitationes meas corroborare possit. Eandem explicationem habet tum Augustinus de Civ. Dei lib. XVI. 24. tum Theodoretus in Genesim q. 64. qui posterior etiam eam demonstrare conatur ex proximè adjuncto sacrificio Abrahamæ & sermone, quem cum eo Deus habuit, quo modum, ordinem & tempus complendæ illius promissionis distinctè ac dilucidè ostendit. Cæterum, cum Abrahamus dixerit: *Domine במה אדע in quo cognoscam*; adeoque non tam petierit modum implendæ promissionis sibi revelari, quam argumentum, quo inductus certò statuere possit, se terram illam hæreditatis jure possessurum; planum est, nec hanc S. Patrum explicationem textui facere satis. Puto igitur, non equidem dubitasse Abrahamum de Veritate Divinæ promissionis, sed expectasse tamen à Deo pleniorẽ factæ jam promissionis confirmationem, idque propter agnitionem propriæ infirmitatis, quæ media legitima, quæ ad rem ipsam penitiùs cognoscendam pertinebant, nec abjiceret nec negligeret. Sic enim fideles, Dei familiaritate allecti, ausi sunt à Deo petere post fidem promissis adhibitam, circumstantiarum pleniorẽ notitiam. Exemplo sunt Gedeon Judic. VI. 15. B. Virgo Maria. Luc. I. 34.*

XXXVII. Materia signi Divinitus exhibitæ Abrahamo describitur Genes. XV. 9. *: קחה לי עגלה משלשת ועז משלשת ואיל משלש ותור וגויל Sume mihi (ita vulgatus (habet vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. עגלה משלשת LXX. Interpretes transferunt δάμαλιον τετραετίου, Juvenecam triennem. At Onkelos paulò aliter accepit textum: quem ita reddit: קריב קדמי עגלין תלתא: Offer coram me vitulos tres & capras tres, & arietes tres: & turturem & filiam columba. Vocem igitur משלשת Interpres hic reddit tres, non trimam. Eodem modo etiam R. Solomon Jarchi: עגלה משלשת שלשה עגלים: Tres vituli designant רמז שלשה פרים פר יום הכפרים ופר דבר של צבור וערלה ערופה tres juvenecos; juvenecum qui offerebatur die propitiatorium; & juvenecum qui offerebatur pro re que latebat ecclesiam; & vitulem, que decollabatur. Neque aliter Kimchius in Lexico, uti verba ejus sunt פרוש שלש עגלות ואון לומר בת שלש שנים כי בת שלש שנים דקרא פרה Significantur tres vitule. Neque dicendum, vitulam triennem intelligi quia cum triennis est, vocatur פרה. Alii tria sacrificiorum genera, holocaustum, sacrificium pro peccato & pacifica intelligunt. In Bereſchit Rabba cap. 42. tres Babylonis Reges Nebucadnezarem, Evilmerodachum & Belsatzarem, de quibus Propheta Daniel agit, indigitari ajunt. Verum assentior omnino Interpretibus Græcis, Samaritano, Syro, Arabi, qui reddunt triennem seu trimam*

trimam non triplicem. Ita etiam Josephus Antiq. lib. I. 11. vocat δάμαλιον τριετίζουσαν *juvencam trimam*. Et Jonathan ברת תלת תנין עגלה *vitulam trium annorum*. Sed & Abenezra disertè vocat שלש שנים *filiam trium annorum*. Nam quod Maimonides tract. de Sacrif. cap. 1. 14. & Kimchius l. c. pertendunt, ubi dicitur עגלה intelligi bovem anniculum semper, & biennem vel triennem vocari פר non est perpetuum. Nam Hof. X. 11. עגלה dicitur vacca jam מלמדה *instituta* אהבת לדוש *amans triturare*. Et Esaj. VII. 21. 12. עגלה בקר *vitula bovis*, quæ jam est distenta lacte, ex quo fiat butyrum. Imò Esaj. XV. 5. עגלה שלשית aliter explicari non potest, quàm vitulus trium annorum, uti facit ibi etiam Kimchius sui oblitus. Neque mirum, cum etiam Virgilius Ecloga tertiâ vitulam vocet, quæ bis venit ad mulctram, binos alit ubere fructus. Cur porro animalia terrestria trima esse voluerit Deus, ratio fortassis inde reddi potest, quia tali ætate denotatur perfecta magnitudo & robur istorum animalium. Ita enim trimus aries est, qui in pleno robore & vigore ætatis est. Unde apud Lucianum in Deorum Dialogis Ganymedes à Jove raptus, & dimitti petens, pro λύτρω suo promittit se arietem Jovi immolaturum τριετίω, ἢ μέγαν, ὅς ἡγέται πρὸς τριετίω, *triennem, magnum, qui gregi in pascua preit*. Qualis aries ἀρνείος & μοσχίας Græcè dicitur. Ita Hesychius ἀρνείος, ὁ τριετίος ἀρνείος. Eadem mens est Chrysostomi homil. 26. in Genesin: τριετίζοντα λαβὴν ἡρώσε ἄξει, τὰ ἔσι τέλει ἀπλησιμμένα; *Mandavit accipi triennia, hoc est perfecta & completa*. Quod וקחל תר quas accipere jussus Abraham, certum quidem est, תר notare *טרוגונה turturam*. Sed de Significatu vocis גוזל non æquè certi sumus. Græci fanè vertunt πελασεγγὶν *columbam*. Syrus בר יונה *pullum columbae*. Arabs eodem modo פרוך כמאם *pullum columbarum*. Neque aliter vulgò. Sed doctissimo Bocharto Hieroz. p. 11. cap. 2. non sine ratione placet, גוזל non tam *columbam* hic significare, cum Abrahami ætate columbae incognitæ fuerint, quippe à Græcis primùm in Asiam invectæ, uti vel sola vox יונה à יונים Græcis ita dicta arguit, probare videtur; quàm pullum turturis. Nam apud Arabes teste Damire אלגואزل notat pullos columbarum & avium homogenearum, quales sunt turtur, palumbus, livia, vinago, aliæque ejusmodi aves, quæ ad columbinum genus referuntur. Porrò גוזל Arabibus id ipsum est quod Hebræorum גוזל. Descendit autem ab Arabico גוזל *pipire*, non Hebræo גוזל quod est *rapere*. Cur verò hæc potissimum animalia & non alia Deus jufferit Abrahamum deligere, ratio in promptu est. Nempe ea ipsa animalia sub Lege munda erant, adeoque adhereri ad sacrificium potuerant, quibus sub Lege accessit unus passer, qui in Sacrificio pro emundatione lepræ adhereri poterat. Videatur ea de re Philo Judæus de victimis. Analogiam porrò hujus signi cum re significata postmodum attingemus.

XXXVIII. Animalia hæc Abrahamus obsecuturus mandato Dei, accepit, ויבחר אותם בתוך ויתן איש בתרו לקראת רעהו וארת הצפר לא בתר *divisit ea per medium, & posuit unamquamque partem è regione partis correspondentis. Sed aves non divisit. Genes. XV. 10.* Cur dissecuerit animalia terrestria non volatilia, causa est mysterium, de quo postea. Sed & sollicitudo & constantia Abrahami in eo maximè conspicua est, quòd inde usque ad tempus noctis, expectans quid sibi Deus vellet, in loco constitit, & עיט *aves rapaces*, quæ cadaveribus inhiabant, diligenter religiosèque arcuit; usque dum ei ex indefinente illa observatione fatigato subreplit sopor, quo Deus metum gravissimum incussit Abrahamo, eoque religioso metu eum comparavit ad sanctam perceptionem rerum sequentium, quæ Dei sermones & signa commodiùs perciperet, uti v. 11. & 12. narratur.

XXXIX. Jacentibus adhuc animalium segmentis, & Abrahamo alto sopore ac metu oppresso, Deus ad eum sermones varios facit, & rerum futurarum fata ei prædicit Gen. XV. 13-17. Sermonum illorum summa est, historia de Abrahamo & semine ipsius. Et primò quidem significat Deus, peregrinum futurum ejus semen בארץ לא להם *in terra sua*

sua, & servituum illis, affligendumque ארבע מאות שנה *quadringentos annos* v. 13. Unde incipiendi sint illi anni quadringenti, quibus peregrinum & afflictum fore semen ejus in terra peregrina dicitur, disceptatur maximis contendendum studiis. Nos ea, quæ rationem temporum concernunt, peculiarem in locum rejicienda putavimus. Peculiaris nempe Exercitatione de Annis Patriarcharum post diluvium, Deo faciente, acturi sumus. Atque ibi quæstionem hanc intricatissimam cæteroque expedire animus est. *Secundò* prædicit Deus gentem illam, cui servient posteri, suo tempore etiam judicandam: atque tum semen Abrahami egressurum cum magna substantia, v. 14. Cujus quidem prædictionis eventus in libro Exodi prolixè recensetur. *Tertiò* Deus ipsum Abrahamum monet de propriis ipsius fati, puta tranquilla ipsius vita & vitæ exitu, his verbis: *Tu verò ingredieris ad Patres tuos in pace, sepelietisque in senectute bona.* Cujus denuntiationis eventum in hac ipsa historia videbimus. Denique Deus Abrahamo designat tempus illud, quo semen ipsius mittendum in possessionem terræ Canaan. Verba Dei sunt: *Et generatione quarta revertentur huc,* ארבעה דורות עד הנחל *quia nondum impleta est iniquitas Emoræi usque adhuc* v. 16. Unde generationes illæ quatuor incipiendæ sint disquirendum fuerit, ubi de annis Patriarcharum disputationem suscipiemus. Quo verò sensu nondum fuerit impleta, *וַיִּינֹקוּ* *iniquitas* Amorrhæorum eo tempore, quo hæc verba ad Abrahamum Deus fecit, dubitari potest. Cum enim *וַיִּינֹקוּ* duplicem in Scripturis habeat notionem, puta tum *peccati*, seu *iniquitatis tum pena*, seu *vindictæ* ob peccatum & iniquitatem. Qui priori sensu accipiunt existimant, nondum implevisse tum temporis Amorrhæus mensuram peccatorum suorum, ob quæ remptorium judicium ipsis decretum fuerat. Rationem reddit Jarchius his verbis: שאין הק"ב נפרע מאומה עד שתתמלא סאסאה שני בסאסאה בשלחה תריכרה *quia Sanctus Benedicthus non punit quemquam donec impleta fuerit mensura, sicut dictum est. Etsi. XXVII. 8. In mensura, in plantatione ejus judicabis eum.* Sic etiam S. Chrysostronus homil. 36. in Genesin, *ὡς ἂν εἴποι τις, ἔδειπνεν τοσούτον ἐργάσαντο πληθὺν πλημμελημάτων, ὡς τοιαύτως ὑπερβαίνει δίκην. Φιλάνθρωπος γὰρ ὢν ἢ μόνον τῆ ἐπιλασμένων μέγιστος ὄντα ἐπαγγέλλει τὰς τιμωρίας, ἀλλὰ καὶ σφόδρα ἐλάττω.* Perinde ac si quis diceret: *Nondum tam multa peccata perpetrarunt, ut eam promeruerint vindictam.* Quippe Deus adeo humanus cum sit, adeo graviores merito peccatorum penas non imponit, ut potius multo imponat minores. Verum dubitari non potest, quin Deus jam tum Amorrhæos exterminare potuerit, si peccatorum ipsorum merita expendisset, & jure suo uti voluisset. Potius est igitur, ut *iniquitatis* nomen sumatur pro ipsa *vindicta* ob iniquitatem decreta, atque sensus sit, nondum venisse tempus à Deo definitum, quo poenâ illâ in eorum scelera vellet animadvertere. Atque ita tota mora illa ad sapientiæ divinæ decretum referri debet, qui ita vult exercere iustitiam, ut etiam ostendat suam in tolerandis & expectandis sceleribus patientiam.

XL. Ad signum Abrahamo oblatum pertinet, quòd Sole ad occasum vergente, & caligine oborta, apparuit תנור עשן ולבד אש אשר עאר בין הגורים האלה *sumus fumans & lampas ignea quæ transibat inter segmenta, seu divisiones ipsas.* Genes. XV. 17. Notari lampadem igneam τὸ τῆ θεῆ ἐνεργείας παρουσίαν *Divine operationis presentiam, rectè observat Chrysostronus.* Furnus autem fumans designat Abrahamum & in ejus lumbis Israeliticum populum. Uterque igitur & Deus & populus Israeliticus transibat per segmenta illa seu διχοτομήματα animalium dissectorum, at ineundum nimirum fœdus, uti statim sequitur. Quæ in re conspicuus est ritus antiquissimus in pangendis fœderibus, quo partes contrahentes inter dissecta animalia transire soliti sunt. Unde gravis illa incutatio Israelitarum Jerem. XXXIV. 18. *Tradam homines istos, qui transgressi sunt fœdus meum, qui non præstiterunt verba fœderis, quod coram me pepigerunt* הענל אשר כרתו לשנים ויעברו בין בתרו *cum transferunt inter dimidias partes ejus vituli, quem in duo dissectuerant.* Nempe principes Judæ & Principes Jerusalem, eunuchos & Sacerdotes, totumque populum hujus terræ, qui inter dimidias vituli partes

partes transverunt. Hinc Judæi in precibus suis ita precari solent: **אנה מלך רחום זחנן** *Obsecro Rex misericors, & gratiose, recorde & respice factus inter segmenta initum.* In libro precum Judaicarum. Et ex eodem ritu est, quod apud Arabes verbum **קטם** significat *partiri, & jurare*, quia partitis dissectisque animalibus juramenta fœderum adhibebantur. Et ab hoc ritu usitato in fœderibus ipsum fœdus ineundi actionem descriptam esse Hebraica phrasi **נרס ברית** nec non Chaldaica **גור קים** *ferre, icere, percutere, fœdus*, annotavimus tom. 1. Exerc. II. 19. Ubi etiam Chaldæorum, Bœotorum, Molottorum, Romanorum similem consuetudinem recensuimus. Unum nunc addam, si Dictys Cretensis **δ Ἰσδάριον** fidem aliquam mereatur, ritum illum inde ab heroum ætate tam apud Græcos quam Trojanos, usu receptum fuisse. Nam lib. 5. Diomedes atque Ulysses jurare incipiunt, permanfuros se in eo, quod sibi cum Antenore convenisset, testesque eam in rem Jovem summum, Terramque matrem, solem atque oceanum fore. Dein excisis in duas partes hostiis, quæ ad eam rem admotæ erant, ita ut pars ad solem, residuum ad naves spectaret, per medium transeunt. Dein Antenor in eadem verba placitum confirmat. Et libro secundo Agamemnon, Sacramento confirmaturus quicquid Achilli promiserat, afferre hostiam lictores jubet, ac mox sublatam supra terram, cum eam duo, quibus imperatum erat, suspensam tenerent, gladium vagina educit, eoque bifariam excisam hostiam in conspectu, uti diviserat, collocare. Dein ferarum sanguine oblitum manu retinens, inter utramque sacri partem medius vadit. Huc etiam referri potest, quod in Toxari meminit Lucianus, apud Scythas, si quis ab alio potentiore læsus est, eum bovis immolati tergori insidentem, carnes frustulatim concisas, & igne tostas pretereuntibus offerre. E quibus quotquot comedunt, & bovis tergo dextra pede calcant, sed illi pro viribus adfuturos pollicentur. Unde apud eos *tergo calcasse* erat idem quod *jurasse*. Nec admodum dissimile est quod de Tongis Indiæ populis legitimus apud Nicolaum Godiginum in vita Gonzali Silvernæ. *Quandò, inquit, aliquid stabile iuramento volunt, terra pugillum, vel incensam favillam manu sumunt, & in sufflantes demittunt in terram, tum iurejurando rem affirmant vel negant, adduntque velle se ita fiammis in pulverem reduci, si pejerarent.*

XLI. Signo huic succedit ipsum *fœdus*, quod Deus inivit cum Abrahamo de hæreditate integra posteris ejus tradenda beneficio ipsius. *Die ipso, inquit Moses, pepigit Jehova fœdus cum Abram dicendo: semini tuo dabo terram hanc à flumine Mizraim usque ad flumen illud magnum, flumen Perath, Cœnem & Genizeum & Cadmonæum, & Hittæum & Perizeum, & Raphaim, Emorrhæum quoque & Cananæum, & Girgaseum & Febuseum, Genes. XV. 18. 19. 20. 21.* Promittitur semini Abrahæ hæreditas terræ Canaan inde à flumine Mizraim usque ad flumen magnum, flumen Perath. Per **נהל מצרים** *flumen Ægypti*, intelligi Nilum contendunt Hebræi, inprimis R. Solomon Jarchi & Kimchi, quamvis refragantibus paucis, inter quos Abenezra non **נר** Nilum, sed **טיהור** *Sichorem* intelligit vult. Per *Sichorem* autem, cujus mentio est Jos. XIII. 2. 3. Jerem. II. 18. intelligit haud dubiè fluvium Rhinocoruræ propinquum. Et sanè cum Judæam inter & Ægyptum, adeoque etiam Nilum intercesserit Arabia, adeoque Judæa ad Nilum usque se nunquam contulerit fluvius Ægypti alia omnia quam Nilum significare videtur. Verùm facilis extenderit est, si dicamus, hic per *fluvium Ægypti* Nilum quidem intelligi, sed non tam integrum Nili alveum, quam initium Nili, hoc est, fluvium Rhinocoruræ propinquum, qui est brachiolium Nili, qui ex ostio Pelusiaco versus Judæam procurrit. Cujus rei argumenta frequentia sunt. Primo enim Nilus suam originem habet à **נהל** *fluvius*. Pro *Nabal* enim sive *Neal* Syri & Ægypti dixerunt *Neel*: ut Phænices alique pro *Babal*, seu *Baal*, *Beel*. Sicut igitur ex *Beel*, *Bel*, inde **בֵּל** sic ex *Neel*, *Nel*, vel *Neil*, unde **נֵיל**. Sed & Mela lib. III. cap. 10. tradit, Nili fontem in Æthiopia, ab incolis nuncupari *Nuchul* haud dubiè è **נהל** unde **Νῆλον** deducimus. Secundò Deus apud Josuam cap. XIII. 3. terram Canaan extendit

tendit מן השיחור à *Sichor* usque ad גבול עקרון *terminum Ecron*. Ubi שיחור *Nilum* notare evidenter arguit, tum nomen ipsum (notat enim nigricantem, qualis Nilus est, qui eandem ob causam à Græcis μέλας, Plutarcho & Eustathio testibus, à Latinis *Melo*, uti Festus & Servius tradunt, nuncupatur) tum loca Jes. XXIII. 3. & Jerem. II. 18. tum denique quòd Nilum Æthiopes *Sirin*, teste Dionysio Afro, nuncuparunt. *Sirin* autem à שיחור derivat merito Scaliger. De quo vide sis doctissimum Seldenum de Diis Syrorum Synt. 1. cap. 4. Sicut autem hoc loco נחל ita etiam שיחור designat non tam integrum Nili fluvium, quàm ejus brachiolum Rhinocoruræ vicinum. Tertio etiam probati Cosmographi hocce Nili brachiolum terminum Judææ faciunt. Strabo lib. 16. supra magnum Pelusiacum Nili ostium, aliud parvum facit apud montem Casium, in quo ad magnum usque stadiorum ter centum sit intervallum. Et Judæam ad Casium huncce montem profert, à quo monte prope absit urbs *Rhinocolura*, à præcis civium naribus sic dicta. Plinius etiam Rhinocoluram Judææ extimam urbem facit. Meminerunt ejus etiam Guilielmus Tyrius lib. XX. 15. Brocardus Monachus, Leo Afer, aliique. Neque verò mirum quod Scriptura fluvium *Ægypti* & *Sichor* non solum pro Nilo ipso, sed etiam pro rivo etfi exiguo, & eapropter ne navigabili quidem, usurpet. Nam in homogeneis, qualis est aqua, idem esse solet nomen totius & partis.

XLII. Cæterùm difficultas est non exiguae promissionis hujus implemento. Neque enim Judæi unquam hæreditariò possederunt omnes terras inde à flumine illo *Ægypti* usque ad fluvium magnum, hoc est Euphratem. Et Num. XXXIV. terra ab Israëlitis possidenda non extenditur ultra *Emath*, adeoque longissimè citra Euphratem. Hieronymus, epist. 129. ad Dardanem, & cum eo Andreas Masius, aliique plurimi existimant, promissionem hanc Dei conditionatam fuisse, quippe quæ implicitam conditionem habuerit obedientiæ: quâ non præstita Deum obligatum non fuisse ad præstandam promissionis fidem. Verùm si ea promissio conditionata tacita referenda fuit ad promissionem totam, non ad partes ejus duntaxat. Neque etiam fides Abrahami solido argumento subnixâ fuisset, cum Deus eum de obedientia posterorum certiores non reddiderit. Rectius igitur Augustinus quæst. 21. in Josuam, absolutum fuisse promissionem agnoscit, & impletam etiam suo tempore, sed non omnem uno & eodem tempore, neque etiam suo tempore, neque etiam planè eodem modo. Quamvis enim nunquam totam eam terram hæreditariò possederint (id quod etiam hoc loco non promittit Deus) tamen altera illa pars à Berseba usque ad Euphratem Israëlitis vectigalis facta est, tempore David's & Solomonis, uti colligi potest ex 2. Sam. VIII. 3. 5. 6. & 1. Reg. IV. 20. Vide sis etiam Josephum Antiq. VI. 2.

XLIII. Quòd verò Deus Abrahamo promittit decem gentes, *Cenizæam*, *Cadmonæam*, *Hattheum*, *Perizæam*, *Rephizæam*, *Amoræam*, *Cananaum*, *Girgasaum*, & *Jebusaum*, dubitationem nonnullam etiam habet. Etenim Paulus Act. XXIII. 19. septem duntaxat numerat gentes, ope Divina ab Israëlitis deletas. Neque etiam in distributione terræ, & bello eam præcedente, ulla *Cenizæorum*, *Cenizæorum* & *Cadmonæorum* mentio reperitur. Consule Deut. VII. 1. Jos. III. 10. XXIV. 12. Et Judæi unanimi consensu tres istos populos à Messia subjugandos adhuc pertendunt: cumque subjugati hæctenus non sint, Messiam nondum venisse inde arguunt. Jarchius quidem asserit indigitari *Edomitas*, *Moabitas*, & *Ammonitas*. Verba ejus sunt: עשר אומות יש כאן ולא נתן להם אלם שבעה גוים והשלישה ארום ומואב ועמון והם קיני חקני קדמוני ועחידים לחיות ירושה לעתיד: *Decem gentes memorantur hic: Neque dedit iis nisi septem. Et tres sunt Edomita Moabita & Ammonita. Suntque hi Cinai, Cenizai & Cadmonai. In futurum autem deum hi accident hæreditati populi, quia dictum est Esai. XI. 14. Edom & Moab missio manus eorum, & filii Ammon obedientia illorum.* Et clarius testimonium R. Josue Aben Suab affert doctissimus Hakspanius ad Lipmanni librum Nizachan pag. m. 503. Hæc sententia communior

nior est Judæorum, aliis Arabes, Salmæos & Nuthæos, aliis Damascum, Asiam & Hispaniam; quibusdam etiam Asiam, Turciam & Carthaginem intelligentibus. Christianorum varias expositiones edisserere nihil attinet. Recensuit eas prolixè idem Haksplanus Not. Philol. ad Genes. XV. 18. 19. Probabile mihi admodum est, Cinæos quidem & Cenizæos tempore Josuæ vel deletos omnino fuisse, vel certè nomen suum aut amisisse, aut parum celebre habuisse, adeòque aliis gentibus contributos esse. Nam Josue eorum nec in divisione terræ, nec in censu gentium à se divictarum uspiam meminit. Cinæos quidem habitasse *περὶ Λιβάνου καὶ Ἀμανοῦ* circa Libanum & Amanum, scribit Eustathius Antiochenus Episcopus in Hexaemero. Unde verò id hauserit, non liquet. Post Josue tempora Cinæorum mentio est 1. Sam. XXVIII. 10. & XXX. 29. At eosdem fuisse cum illis, quorum Deus hoc loco meminit, non constat. Cadmonæos quod attinet, iidem fuerunt cum Hevæis, uti alibi etiam monuimus. Dicti sunt *קדמנים* seu *Orientalis*, quia habitârunt in monte Hermon, ad Orientem terræ Canaan vergente. Post tempora Abrahami attributi videntur iis, quos Deus insignit hoc loco nomine *רפאים* *Raphaim*. Boulduci nugæ nomina populorum horum in religiosorum ordinum cognomenta commutantis dignas non censemus, quæ ad examen revocentur.

XLIV. Nunc signi Divini antea expositi cum Divina promissione & fœdere analogiam paucis contemplabimur. Quippe dubitari non potest, quin externis illis signis Deus Abrahamo rerum prædictarum mysterium insinuare voluerit. Omnes fere Hebræi asserunt, Deum segmentis animalium Abrahamo præfigurasse ortum & occasum quatuor Monarchiarum: quamquam in Symbolica expositione cujuslibet animalis non consentiant. R. Eliezer & Jarchius contendunt, per arietem triennem designari Regnum Persiæ, per pullum columbæ populum Israëliticum: verum si pro numero animalium multiplicandæ sunt Monarchiæ, non quatuor sed quinque statui debent. Cumque hic agatur de servitute Ægyptiaca, quid attinet id omne extendere ad servitutem quatuor Monarchiarum? Mihi optimè mysterium illud explanare videtur S. Theodoretus q. 65. in Genesin. Quatuor genera animalium, quatuor haud dubie notant generationes, quibus semen Abrahami in Ægypto peregrinum futurum erat. Et ternarius quidem numerus animalium terrestrium tres generationes Caath, Amram & Mosis, quibus in peregrinatione essent mansuri, denotat. Turtur autem & pullus turturis Symbolum est quartæ generationis, quæ ex Ægypto, ut gemebundi turtures per desertum evolarunt. Dissectio animalium ad ritum fœderalem superius expositum pertinet. Vel certè dissecta animalia varias afflictiones: aves verò integræ afflictionum finem notant. Quod volucres cadavera jacentia appetierunt, signum est hostium diversorum in Israëlitas incurfantium. Abraham verò eos abigens Divinæ providentiæ & vigilantix Symbolum fuit. Sopor Abrahami, & qui in eo supervenit, horror angustias posteritatis ejus in Ægypto portenderat. Sed & clibanus fumans Ægyptiacæ servitutis, quæ per fornacem ferream alibi exprimitur, indicium præbuit. Denique lampas ignea, transiens inter segmenta partium jacentium, Divinam notat præsentiam, qua fœdus illud ita sancitum fuit, ut transgressoris simul pœna insinuaretur. Nempe Deus futurum hac ratione prædicat, ut qui prior à fœdere illo defecerit, in partes ita dissectetur, ut inter eos transitus facilis pateat. Quæ pœna fuit fœdifragi Israëlitis, Christum in eo fœdere adumbrantis, rejicientis & damnantis, expressa etiam à Christo Matth. XXIV. 51.

XLV. Post apparitionem hanc Divinam mysterii plenissimam, Sara conjux Abrahami, cum steriliis esset, miròque prolis teneretur desiderio, Abrahamo annum octogesium quintum ætatis agenti, subdidit Hagarem ancillam, procreandorum suscipiendorumque liberorum gratiâ. Historiam hanc Hagaræ tum insolescentis, tum gemina exultatione damnatæ, peculiari dissertatione reddimus.

XLVI. Anno ætatis Abrahami nonagesimo nono, quinta vice ei adhuc in Elon
1 Mamre

Mamre subsistenti Deus apparuit, instaurata in solenni fœdere promissione, & instituto perpetuo fœderis *ἐπικυρώματι*, seu stabilimento; circumcisionis nimirum signo. De quo quidem fœdere Abrahamico & circumcisionis Sacramento singulari etiam in dissertatione agimus.

XLVII. Secutum deinde est excidium Sodomorum, quod Deus Abrahamo in Elon Mamre habitanti prædixit. Cum enim imprimis hospitalis esset, Angelos tres humana specie iter facientes hospitio invitat, excipit, in convivio lautè structo adhibet. Inter epulandum dum sermones conferuntur, audita promissione filii ex Sara procreandi firmatus fuit Abraham, quanquam uxor idipsum rem ridiculam putans, fidem promissioni non adhibuit. Cumque internecinum exitium urbium ex Angelis intelligeret Abrahamus, pro iis apud Deum seriò intercessit, sed ob profligatam & passivam hominum illorum nequitiam nihil impetravit. Incendium igitur horribile eorum postridie spectavit, cujus fumus ascenderat tanquam fornacis calcariae. De hoc Sodomæ funestissimo excidio, & denuntiatione ejus per Angelos facta Abrahamo seorsim etiam disserimus.

XLVIII. Relicta tandem Elon Mamre sive ob horrorem justissimum præsentium Dei judiciorum in Sodomitas, nec non maleficiorum quæ Lothus perpetraverat, sive, quod magis probabile, ob incolarum iniquitatem in Abrahamum magis magisque exardescentium, migravit *ארצה הנגב ad terram meridianam*, advena Geraris, quæ urbs & regio erat Palæstinæ, habitavitque inter Cades & Sur, Genes. XX. 1. Sunt hæc nomina duarum solitudinum, quarum una jungitur Ægypto: altera usque ad Saracenorum eremum extenditur, uti Hieronymus docet *de locis Hebraicis*. Ibi rursus periculum subiit Abrahamus adulterandæ uxoris Saræ. Cum enim formæ pulchritudine emineret, atque pudicitia ejus rectius confuleretur, sororem eam finxit esse Abraham. Rex Abimelechus rem ita habere persuasus, eam ad se abduxit. Verùm monitus per somnium, ne facinus patraret, quod repentinam mortem ipsi cunctisque domesticis accerferet, intactam marito restituit, eique amplissimis muneribus affecto potestatem fecit regionem illam, quocumque loco visum esset incolendi. De quo quidem raptu Saræ alibi etiam fufius agimus.

XLIX. Anno ætatis Abrahami centesimo masculam ei prolem, ante promissam enixa est Sara. Circumciso ex edicto *Isaco* nomen ipsi indiderat. Quo tempore eum ablaetavit mater, convivium lautum & opiparum instructum est. At Ismael Isacum acerbis facetiis ejus odio irridere solitus, adeò Saram offendit, ut exitium illius & matris Hagaris pro securitate Isaci continuis precibus ab Abrahamo flagitaret. Qui cum cunctaretur, à Deo monitus tandem consilium uxoris approbavit, jussaque perfecit. Id quo mysterio factum sit, alibi ex Apostolo ostendimus.

L. Circa ea tempora, cum Geraris adhuc Abrahamus comoraretur, fœdus inter sesece- runt Abraham & Abimelech, cui feriendo quoque interfuit *פיקול שר צבאו Pichol Princeps Exercitus Abimelechi*, Gen. XXI. 22. addunt LXX. Seniores, *ὀχολὸς ἀδρυμπαργαγώνων ὄντων, Ochozad pronubum ejus*, quem Hebræus textus, reliquique antiquissimi Interpretes ignorant omnes. Nempe ex cap. XXVI. 26. ubi similis confederationis mentio est inter Isacum & Abimelechum cum Achyzath amico, & Picol exercitus ejus duce, eum huc asciverunt & transfulerunt. Picol autem ita dictus videtur quasi *כל פי os omnium*, quòd omnium postulata & querelæ ipsius nomine ad Regem deferrentur. Occasio fœderis fuit, quòd observarint Philistæi, variisque ex documentis discerent, Deum Abrahamo mirificè favere, adeò ut ejus opes & potentia in peregrino etiam solo quotidie crescerent. Ne igitur potentiam ejus tandem reformidare haberet necessum, Abimelechus cum suo comitatu non dubitat se eò demittere, ut ad inquilinum & advenam veniret ipse, eumque de fœdere pacis ineundæ appellaret. Tum suo igitur tum filii & nepotis nomine ab Abrahamo juramentum securitatis postulat hisce verbis: *Jura mihi per Deum, si men-*

xiaris mihi & filio & nepoti meo: *Juxta misericordiam quam feci tecum, facies mecum & cum terra, in qua peregrinatus es.* Ubi *mentiri* in eodem sumitur sensu, quo Habac. III. 17. dicitur כָּחֵשׁ מְעַשֶׂה דוֹרֵי מְעַשֶׂה דוֹרֵי *mentiri opus olivæ, & seges quæ non respondet spei agricolæ, dicitur Ovidio spem mentita seges.* Cum igitur pacis inter homines ineundæ adeoque fœderis duo sint genera, alterum, ne inter se offendant, alterum ut etiam defensione inter se communicent, quod pertinet tum συμμαχία tum ἐπιμαχία Græcorum: satis apparet, de prioris generis fœdere hic sermonem esse, ne qua invicem nascatur offensio sive inter principes, sive inter populares, qui Principum jurisdictioni parent. Abrahamus igitur Abimelechi haud iniquæ voluntati parens, ei juravit in ea ipsa haud dubiè verba quæ ipse Abimelechus præverat. Utque pax illa stabilis esset, tum impedimenta ejus ut tollerentur providet, tum & bona ipsius ut stabilirentur. Impedimentum erat injuria facta ipsi à servis Abimelechi, qui puteum à suis fossum vi eripuerant. Abimelechus porro se defendit exceptione duplici, tum quod id omne se inscio factum esset, tum quod nullum ad se postulatum ea de re sive per Abrahamum, sive per alium quenquam pervenerit. Qua ratione evidenter probatum dedit, neque contra præsens institutum pacis, neque contra spem illius quidquam procuratum esse. Stabilimentum porro bonorum pacis tum in eo consistit, quod communi Symbolo, datis nempe Abimelecho ovibus & bobus, fœdus percussum est: tum in eo quod singulari Symbolo, septem nimirum agnabus Abimelecho tributis testatum facere voluit, quod ipse puteum istum foderit. Unde loco illi, in quo fœdus utrinque ininitum est, inditum nomen באר-שבע Beer-sheba, quod, uti etiam Hieronymus monet, duo significare potest, vel *puteum juramenti*, propter juramentum adhibitum; vel *puteum septem*, propter septem agnas in fœderis hujus Symbolum; & putei circumjacentisque agri pretium datas. Neque cum eo, quod Abraham loco huic nomen Beer-seba indidisse hic dicitur, pugnat, quod Genes. XXVI. 33. Isaacus nomenclaturæ illius auctor perhiberi videtur. Varias conciliandi rationes affert Menasse Ben Israel q. 45. in Genesin. Non male doctissimus Abravanel putat sensum esse loci Genes. XXVI. 33. propter juramentum ab Isaco locum hunc nuncupatum esse: qui על כן *ob similem causam* videlicet juramentum Abrahami, jam olim cognominatus sit, & adhucdum cognominetur Beer-sheba. Adeoque שבע & באר שבע diversa nomina, idem tamen significare videntur. Id si minus placet, dicamus, nomen ab Abrahamo loco illi inditum, paulatim obsolevisse, & ab Isaco denuo instauratum esse.

LI. Fœdus Abrahami cum Abimelecho quamvis Philistæo & veri Dei ignaro, pium justumque fuit. Quid enim æquitati magis consentaneum est, quàm ut hospes & advena Regi cujus indultu eam terram incoluit, promitteret securitatem, & quod cum misericordia ac benevolentia Regis erga ipsum, paria facere velit. Quod si benedicendum est persecutoribus, & inimici ipsi diligendi, quidni Regi amico & beneficiis certanti mutuum benevolentiam Abrahamus obstringere potuerit? Concesserat ei Rex, ut secure in terra sua habitaret. Debuit ergo ei etiam præstare fidelitatis juramentum in iis, quæ religionem ac pietatem non lædebant. Neque etiam obstat, quod Abrahamus scivit, à posteris suis tandem Geraritas ex ea ditione expellendos & deturbandos esse, & terræ ejus dominium divinitus semini suo promissum esse. Noverat quippe Abrahamus possessio nis terræ illius adeundæ tempus nondum advenisse, seque quamvis spe Dominum ejus, reapse tamen peregrinum adhuc esse. Igitur non cavebat Abimelecho in omnes generationes, sed ipsi, filio ac nepoti se, quamdiu superstes foret, nihil omnino nociturum spondet.

LI. Post fœdus cum Abimelecho percussum, Abrahamum ישע אשל בבאר שבע *plantavit nemus in Beerseba, & invocavit ibi nomen Je'rova Dei æterni.* Genes. XXI. 33. Id quod argumento est, ipsum posthac aliquamdiu quiete & tranquillitate fuisse potitum, & sedem sibi fixam delegisse. Unde statim v. 34. sequitur, ipsam

ipsum in terra Philistæorum habitasse ימים רבים *dies multos*, hoc est stylo Scripturæ plures annos. Quid porro אשל quam plantasse dicitur Abraham, denotet, non consentiunt omnes. LXX. interpretes vertunt ἀγρον *agrum*. Syrus נצבתא *plantam*. Quomodo etiam Arabs habet نضبتا *plantavit plantam*. Chaldæus simpliciter reddit אילנא *arborem*. Inter Hebræos alii lucum aut nemus, alii etiam Paradisum interpretantur. Jarchius de tabernaculo explicat. Arboris & quidem opacæ genus fuisse merito arbitratur doctissimus Mercerus. Sanè ossa Saulis & filiorum ejus, quæ sepulta sunt in Jabes תחת האשל *sub Eschol* 1. Sam. XXXI. 13. eadem 1. Paralip. X. 12. sepulta dicuntur תחת האלה *sub quercu*. Unde non malè אשל *quercetum*, seu lucum quercubus confitum reddi putamus. Ut sic idem sit quod אילן de quo supra. Igitur Abrahamus lucum plantavit hoc potissimum fine, ut sub eo invocaret nomen Domini. Hoc enim est, quod dicitur Abrahamus שם *ibi*, non tam in communi loco nempe Beerseba, quàm in singulari, nemore nimirum, seu luco quercubus confito, nomen Dei invocasse. Quòd verò adjicit paraphrasis Hierosolymitana, convivium ibi loci Abrahamum celebrasse, neque hospites suos reliquisse, ער זמן דהיה מגייר יתרון ומלין, *donec eos profelythos fecisset, & via seculi illos docuisset*, ficto quàm vero similius est.

LIII. Annon verò Abrahamus lucum ejusmodi instruens, ut in eo cultui Divino vacaret, reum se fecit illius peccati, quod toties traducitur in sacris? Minimè verò. Nullus enim tum temporis locus cultui divino destinatus fuit. Licuit igitur ubique locorum puras manus ad Deum levare. Neque etiam ea opinione lucum cultui Divino sacrauit Abrahamus, quasi loco huic peculiaris sanctitas vel religio inesset. Procul absuit ab hac superstitione, quæ postea dementavit Gentiles, apud quos summa religio fuit, arbores quasdam veluti reliquis sanctiores Diis suis consecrare, nemora & lucos eorum cultui dedicare, in iis asyla constituere, & ad ea peregrinationes religiosas instituire. Imò ipsis arboribus divinitatem quandam tribuerunt, & ex iis oracula atque responsa expectarunt: loca item amplissima arboribus confita, & integras sylvas iis consecrarunt, quæ Hebræis אשרות tanquam silvas vel nemora sancta aut beata dicas, Græcè ἄλση, hoc est, Eustathio interprete *χλωία ἱερά συνδεδεγ*; Latine *nemora & luci* Scaligero lib. 3. Poët. cap. 90. sic dicti, quòd *sacrificiorum frequentia luceant*: Isidoro verò, quòd *soli lucem detrahant*: appellata sunt. In iis Deorum simulacra posita, in iis sacrificatum & asyla constituta sunt. Atque hanc profanam superstitionem quia imitati sunt haud rarò Israëlitàe ad gentilium sacra desectentes, perstringuntur hinc inde gravissimè. Et Deus quidem dicitur prohibet Deut. XVI. 21. ne cultus Divini causa, *conferant sibi lucum ullis arboribus, secundum altare Dei faciendum*. Duæ autem causæ fuerunt, cur luci & arborum umbræ, necnon excelsa in sacris tantà infamia laborarent. Prior, quia falsa plerunq; in iis Numina colebantur, & ipsi loco sanctitas quædam ab idololatriis affingebatur. Posterior, quia, si quando nemora ejusmodi & excelsa veri Numinis cultui consecrata sunt, id factum fuit eo tempore, quo non licebat alibi sacra facere, quàm in loco divinitus designato, nempe in domo permanente, quam elegit Deus, ut in ea quiesceret arca sæderis: quæ quidem domus nulla fuit præterquam in Silo & Templo Hierosolymitano. Hanc enim fuisse Legis Divinæ, cultum sacrum uni loco adstringentis, adeoque tum lucos tum excelsa prohibentis, *Μόνη*, eruditè ostendit Cl. Cloppenburgius *Schola Sacrificiorum* p. 28. 29. &c. Neutra verò ratio in Abrahamo Deum sub opacis arboribus colente obtinuit. Nam & Deum verum אל עולם *Deum seculi* coluit, & eo tempore, quo Deus domum permanentem cultui Divino sacram nullam adhucdum elegit.

LIV. His peractis Deus Abrahamo apud Geraritas habitanti, sexta vice apparet, & promissionem toties ipsi factam denuò, interposito per se ipsum jurejurando, instaurat. Sed explorata fuit prius & fides & obedientia ejus, quarum virtutum illustre edidit specimen,

men, cum filium unicum Ifacum jussus à Deo in holocaustum offerre in regione Moriae, eousque paret, ut sacrificium perpetraret, nisi ab Angelo Domini inhibitus fuisset. De qua Abrahami *δοκιμασία* non omittemus peculiari in disertatione agere.

LV. Aliquantò post Sara, nata centum & viginti septem annos, supremum diem clausit in Ciriath Arbe, Genes. XXIII. 1. 2. Hebræi plerique autumant, eam audito de filio Ifaco immolando nuntio adeò percussam fuisse, ut præ ægritudine animi mortem oppeterit. Ita R. Solomon Jarchi eo argumento quod *נשמרה מיתרת שרה לעקידת יצחק* *subiuncta legitur mors Saræ ligationi Ifaci*, concludit, nimia consternatione ex tristi nuntio de filii macltatione obortà illam expirasse. Idem innuit Midras in Schalschel. Hakab. p. 7. ubi Sara dicitur mortua *בחדש מרחשוון אחר העקידה* *mensis Merchesiuam post ligationem Ifaci ad sacrificium*. In Pirke Eliezer cap. 32. additur festiva fabula, Sammaelem seu Diabolum indignatum, quòd non successerit machinatio ipsius de Ifaco occidendo, ante reditum Abrahami adivisse Saram, eique persuasisse, quòd filius Ifacus plorabundus ab Abrahamo macltatus sit. Saram igitur flevisse tres ploratus juxta tres clangores buccinæ festi, & confestim aufugisse animam ejus atque abiisse. Eandem mortis Saræ causam affert etiam Eutychius Patriarcha Alexandrinus Annal. p. 66. *סמעת סהרה אן אבראהים* *אכד אסחק וצמעררה אלי אלגבל לידבחר פצאחרת ודלולך פמן שרה מאנאלהה מן* *Sara audito Abrahamum, Ifacum assumptum in montem maclandum abduxisse, exclamans atque ejulans, præsumma, qua affecla est tristitia, morbo correpta eodem anno mortua est*. Cæterum causam hanc mortis Saræ fictitiam esse arguit non tantum Scripturæ silentium, verum etiam quòd Abrahamus post tentationem dicitur rediisse Beersebam, ibique habitasse, Genes. XXII. 19. Ubi vox *ישב* *moram* haud dubiè stabilem unius minimè anni designat. At Sara mortua est non in Beerseba, sed postquam Abrahamus migravit ex Beerseba in Hebronem. Mortua est enim in Hebrone Genes. XXIII. 2.

LVI. Sara uxore fato defuncta *יבנה אברהם לספר ולבנתה* *venit Abraham ut plangeret & staret eam*, Genes. XXIII. 2. Unde venerit Abraham, quæri hîc solet, & annon fuerit cum Sara, quando illa obiit? R. Abenezra existimat, alibi fuisse Abrahamum, cum moreretur Sara. Verba ejus sunt: *כאשר מתה שרה היה אברהם במקום אחר על כן אמר ויבנה אברהם* *Cum moreretur Sara, Abrahamus alibi locorum erat. Propterea dicitur: Et venit Abraham*. Ex monte Moriah eum venisse fingunt Hebræi plerique. Abulensis aliique existimant, venisse Abrahamum ex urbe in agrum, ubi cadaver depositum fuerit. Simplex est eorum sententia, qui Abrahamum post mortem Saræ dicunt venisse, hoc est, ingressum esse tabernaculum Saræ, quod à suo sejunctum erat, eamque planxisse. Vel certè, quod Doctissimo Mercero placet, *venire* hoc loco idem est, quod *aggredi, suscipere, aut se ad aliquid faciendum accingere*. Quæ explicatio si obtineat, otiosæ sunt disquisitiones de loco, unde venit Abrahamus. De duratione & ritu hujus planctus nihil Scriptura habet. Ausus tamen est R. Jose in Pirke Eliezer cap. 32. tempus, quo matrem suam planxit Ifacus, definire triennio. Porro planctus hujus moderationem meritò & prolixè commendat Philo Judæus de Abrahamo p. m. 385. quem ibi vide.

LVII. Finito planctu Abrahamus *יקם מעל פני מתו* *siarexit ab officio funeris* uti vulgatus habet Genes. XXIII. 3. Verba hæc vulgaræ versionis arripit Bellarminus de Purgat. lib. I. 15. ut purgatorio suo patrocinari demonstret. *Quid prohibet, inquit, per illud officium intelligere non solum lachrymas, sed etiam orationem & jejunia?* Facilis responso. Eadem Scriptura, quæ Abrahamum pro defuncta orasse & jejunasse silet, id credere prohibet. Taceo, quòd *officium funeris* non habeatur in textu Hebræo. Tantum Abrahamus dicitur surrexisse *מעל פני מתו* *ὄρθο & νεκρῶν οὐρῆς*, à mortuo suo ut habent Græci. Notum enim est, usitato Hebraismo *מעל פני מתו* *à faciebus mortui*, idem esse, atque à mortuo, Chaldaeus habet: *Siarexit Abraham מעל אפי מתיה* *à conspectu mortui sui*. Eodem modo Syrus

rus & Samaritanus. Arabs: *תם קאם מן הצרת מיתה* *Tunc surrexit à presentia mortui sui.* Usus porro est Moses voce Masculina *מת* respiciens ad corpus, quod Hebraicè *גוף* dicitur masculino genere. Unde Abenezra: *רמו גוף innuit corpus.* Sed esto, dixerit Moses, *Abrahamum surrexisse ab officio funeris,* quanquam funus nondum inceptum, nedam peractum fuit. An igitur, quia inde à paucis seculis orationes & jejunia superstitiosa pro mortuis officii nomine venerunt, etiam Moses, vel potius vulgatus Interpres per officium *funeris* significare idem voluit? Quid hoc est aliud, quàm latere sub plicis impliciti sermonis?

LVIII. Surrexit igitur Abrahamus à planctu Saræ uxoris, ut ejus honestè sepeliendæ rationem iniret. Cumque ipse in ea, in qua tum habitabat, terra nec volam nec vestigium pro suo possideret, adiit *בני חרת* filios Cheth, eosque, ut sibi concederent in terra sua *קבר אחזרת* hereditatem, *jus, dominium sepulchri,* quo in eo mortuum suum sepelire posset. Cethæi summa humanitate ita responderunt: *שמענו אדנו נשיא אלהים אתה בתוכנו במבחר קברינו קבר ארת מתך* *Audi nos, Domine mi, Princeps Dei es in medio nostri, in electissimis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum,* Genes. XXIII. 6. Quo sensu Chethæi Abrahamum vocent *נשיא אלהים Principem Dei,* diximus tomo priori Exercit. II. 3. Hoc unum nunc addimus, compellationem illam fuisse etiam boni ominis in futurum tempus, quo posteritas Abrahami summa in terra Canaan potestate potitura erat. Abrahamus audito humanissimo responso reverenter flexo nimirum corpore, qui honor nec familiaris nimium nec planè submissus censebatur, illos coluit, & ulterius obnixè rogavit, uti dignarentur pro se intercedere apud Ephronem filium Sohar, uti pro *כסף מלא* argento pleno, hoc est, integro pretio & iusto, sibi vendat *את מערת המכפלה אשר לו* *in hereditatem seu possessionem sepulchri,* Genes. XXIII. 9. Qualis porro fuerit illa *מערת מכפלה spelunca Macpelah,* non admodum constat. Speluncam *duplicem* convertunt magno consensu Vulgatus, Græci, Samaritanus, Onkelosus, Syrus, Arabs. In Beresith Rabbah Sect. 6--2. vocatur *דיטראן* *Diitaran,* quasi *duplex antrum.* Quomodo autem duplex fuerit, mirè æstuant eruditi. Hebræi plerique existimant duplicem dici, eò quòd duplex fuerit, una superior pro marito, inferior altera pro conjuge. Jarchius *שכפולת בזוגות* *quòd fuerit duplex conjugibus,* puta Adamo & Eva, Abrahamo & Sara, Isacco & Rebecca, &c. Abenezra putat fuisse *מערה בתוך מערה speluncam in medio speluncae.* Alii ariolantur fuisse fossam, quæ ad speluncam duceret, ita ut per fossam aditus patuerit ad speluncam, in qua jacebat mortuus. Cl. Salmasius Exercit. Plin. pag. 1208. existimat, simplicissimum esse speluncam duplicem accipere, ut Græci appellant *ἀμφίδυμα σπηλαια, τὰ διπλά, quæ duplicem habent aperturam, ut ex duabus partibus ingressum, duplicemque adeò hiatum. Quomodo portus ἀμφίδυμοι dicuntur, διπλοὶ ἐξ ἑκατέρω μέρου ἔσσαν ἔχοντες, ad quos aditus duabus ex partibus patet. Cæterum nulli harum interpretationum facilè assentior, quòd *מכפלה* non tam appellativum, uti omnes hi faciunt, quàm proprium nomen agri fuisse potius videatur. Etenim uti spelunca, ita quoque ager nuncupatur *שדה המכפלה Macpelah.* v. 19. Quòd si igitur ob quamcunque harum causarum spelunca dicitur *מכפלה* quo quæso sensu ipsum agrum dicemus *מכפלה Macpelah?* Tum & v. 17. spelunca fuisse dicitur *במכפלה לפני ממרה in Macpelah coram Mamre,* hoc est, in tali loco, qui erat è regione Mamre. Unde apparet *מכפלה* nomen loci fuisse. Igitur tum ager, tum spelunca *Macpelah* dicitur, quia utraque in eo tractu fuit, qui *Macpelah* dicebatur. Neque insolens esse, nomina propria, sive personarum sive locorum ab interpretibus appellativè accipi, & contra, ostendi exemplis posset. Neque etiam obstat, quòd *ר* dictioni *מכפלה* præfixum est, quòd aliàs à nominibus propriis alienum esse videtur. Alia enim ratio est nominum propriorum *personæ,* alia propriorum *loci.* Posteriora admittunt sæpius. Quin & nomina propria *personæ* *ר* præfixum habent si simul*

sint aut esse possint appellativa. Confer Num. III. 21. 1. Sam. XXIII. 19. XXVI. 1. 3. Porro R. Benjamin Tudelensis Itiner. p. 48. 49. de ea spelunca Macpela narrat, sibi ad eam venienti apertam esse januam ferream, quæ jam inde à beatorum Patriarcharum temporibus confecta fuerit. Huc qui descendit, facem ardentem manu tenens, nihil deprehendere nec in prima, nec in secunda spelunca, donec in tertiam deveniat, ubi sex sint sepulchra, Abrahami, Isaci, Jacobi, Saræ, Rebecca & Leæ, quæ sibi invicem opposita, singula literis incisis obliqnata sint, ut sepulchro Abrahami hæc incisa leguntur: *זֶה קֶבֶר אַבְרָהָם אֲבִינוּ ע"ה* Hoc est sepulchrum beati Patris nostri Abrahami. Similia super Isaci sepulchro, imò singulis sepulchris hujusmodi inscripta esse. Plura de eo narrat oculatus testis, penes quem fides esto. Qua verò occasione Abrahamus speluncam hanc invenit, & quam ob causam eam potissimum sibi vendi petierit, prodigiosam de eo fabulam habent Hebræi in Pirke Eliezer cap. 36. quam adscribere piget.

LIX. Ephron porro Abrahamo tum agrum tum speluncam in eo æquissimo animo & nulla conditione addicit. Abrahamo verò, qui iusto pretio eam licitari, alienoque prædio non nisi persoluto pretio uti proposuerat, instante, Ephron petiit sibi dari *ארבע מאות שקל כסף* *quadringentos siclos argenteos*. Quos ille promptè Ephroni numerat Genes. XVII. 15. 16. De siclorum illorum valore fusè à nobis actum tom. 1. Exercit. 1. 34. Potueritne vel Abrahamus emere, vel Ephron vendere sepulchrum, sollicitè hic inquirunt Commentatores Papistæ, quibus jus sepulchri utpote sacrum & spirituale quidpiam, nec emi potuisse nec vendi citra Simonie crimen videtur. Ante illos Gregorius ad Januarium Sardinie Episcopum, Ephronis exemplo, qui primò pecuniam pro sepulchro nullum petiit, utitur ad perstringendum Januarium, quia à Nereide clarissima fœmina centum solidos pro filie suæ sepultura exigere non erubuerit. Sed & Hieronymus venditionem illam sepulchri non caruisse vitio decernit. Atque hinc factum putat, ut Ephroni, postquam pecuniam pro sepulchro accepit, immutatum sit nomen. Primò enim nomen ejus scriptum esse *עֶפְרוֹן* Ephron. At postquam ei appendit siclos Abrahamus, scriptum esse nomen ejus *עֶבְרוֹן* Ephron. Quo ipso significasse Scripturam, non eum fuisse perfectæ virtutis, qui memorias vendere potuerit mortuorum. Verùm præterquam quod alia ratio sit sacrorum & spiritualium, quæ citra Simonie crimen nec emi nec vendi possunt; alia eorum, quæ non ipsa sacra & spiritualia sunt, sed sacris & spiritualibus inferviunt, quale quid est etiam sepultura: multa esse, quæ tum Abrahamum tum Ephronem ab hoc crimine Simonie liberent, agnoscit Doctissimus Bonfrerius ad h. l. cujus verba adscribere minimè piget. *Frustra, inquit, hic non pauci se torquent, quomodo Abraham petierit sibi vendi sic sepulchri, cum jus sepulchri sit quid sacrum & spirituale. Primò enim, non nudum jus sepulchri petit Abraham, sed locus; nec constat, an locus quem petebat Abraham ad usum sepeliendi destinatus esset, & in eo sepulchra excitata essent. Secundo etsi ita esset, non constat, an in illis quispiam aliquando sepultus esset, & potius contrarium verisimile. Tertio incertum, an jus sepulchri apud illas gentes sacrum esset. Quarto incertum, an illi Hethæi veri Dei essent cultores: si autem apud eos non erat veri Dei cultus, nec ulla sepulchrorum erat sanctitas, sicut nec Templorum. Quinto etsi ob sanctitatem & consecrationem non liceat rem aliquam plus aestimare, ipsa tamen res, quæ adjunctam habet sanctitatem, secluso præcepto positivo vendi potest & tantidem aestimari, quanti aestimaretur, si nihil haberet sanctitatis, uti patet in calicibus consecratis, & Rosariis benedictis.*

LX. Post obitum & sepulturam Saræ, cùm ætas Abrahami ad senectutem vergeret, cogitatio subit de matrimonio Isaco conciliando. Cùmque nec Cananæam aliquam ipsum ducere fas esse judicaret, nec filium in regionem Patriam Chaldæorum ullo modo reduci vellet, fidei & probitatis spectatæ servum suum Eliezerem haud dubiè supra memoratum, qui præerat universæ familiæ Abrahami, jurejurando in verba sua adigit, mandans, ne aliter quàm Deo Duce & monitore, neque aliam quàm ex cognatione ipsius uxorem filio quæreret. Adjuravit igitur eum *בְּיְהוָה אֱלֹהֵי הַשָּׁמַיִם וְאֱלֹהֵי הָאָרֶץ* per Jehovah Deum Celi & Deum terræ, Genes. XXIV. 3, Docens suo exemplo, per solum

Jehovam Deum cœli & terræ juramenta concipienda esse. Materia juramenti est in his verbis: **אשר לא תקח אשה לבני מבנות הכנען אשר אנבי יושב בקרבו** *ut non capias uxorem filio meo de filiabus Cananæorum, in quorum medio ego sum: sed ad terram meam & cognationem meam perges, & capies uxorem filio meo* Isac. v. 3. 4. Averfatus est Abraham conjugia filiarum Cananæarum non tam eam ob rationem, quod Cananæorum genus vile esset, & ignobile propter maledictionem Chami factam à Noë: quàm eam, quòd pietatem ac fidem ab ipsis exulare jam diu deprehenderet. Quam causam paucis attingit S. Chrysostomus in Genes. homil. 47. **ὁ πατεράρχης ἐπιμελούμενος τῆς ψυχῆς δεσφῆς Ἰσακ, καὶ Φαργων τῶν ἐγγυωμένων τῆς πονηρίας, τῆτο ποιεῖ. Patriarcha curam gerens virtutum animæ & indigenarum nequitiam averfatus hoc facit.** Verùm de causis, ob quas conjugia ejusmodi evitârunt Patriarchæ, prolixius à nobis actum tom. 1. Exercit. XI. 15. Unum hic addam, cum Isacus fuerit filius promissionis, ex quo nasci debuit Messias, non potuisse ei desponsari uxorem Cananæam, adeoque ex Chamo oriundam. Nam Semi hæcprærogativa fuit, ut ex ipsius sanguine nasceretur Salvator mundi, ut aliàs demonstravimus. Ritus porro jurandi ejusmodi fuit, ut servus Abrahamæ jussus ab hero posuerit manum suam **ידך שחת** *sub femur Domini sui, atque ita juraverit, v. 2. & 9.* Qui quidem ritus à Jacobo etiam imperatus fuit Josepho ipsi juraturo, Genes. XLVII. 29. Et Josephus quidem Antiq. l. 16. ait, Abrahamum misisse servum illum, **ἐγκυκλοῦμενον μεγάλαις πίσεσι. Γίνονται δὲ αὐτῷ ἕτον ἢ τῶπον ἕστο τῆς μηρῶς ἀπὸ τῶν ἀπὸ τῆς χεῖρος ἐπαγαρόντες, ἐπικαλῶνται ἢ θεὸν μάρτυρα τῶν ἐσόμενων, magnis fidei sacramentis eum obstringentem, quæ hoc modo fiebant. Utrique invicem manum sub femora mittebant, & invocabant Deum testem eorum, quæ futura essent.** Varias cæterùm varii ritus ejus rationes perhibent, quarum pleræque ejusmodi sunt, ut ingenium magis fingentium, quàm rei veritatem arguant. Et Hebræis quidem plerisque antiquioribus maximè placet, ceremoniam illam manum supponendi femori adhiberi solitam esse in jurando vel adjurando, ob significationem & reverentiam sacramenti circumcisionis, quod erat sigillum fœderis cum Abrahamo initi. Ita R. Eliezer in Pirke cap. 39. *Ab initio prisca illi jurabant in fœdus circumcisionis ante dati nem legis.* Abenezra **המילה רמז אמרים יש** *sunt qui dicant, significari circumcisionem.* Et Hieronymus tradit, in Genesin, hanc sententiam tanquam communem tribuit Hebræis. Sed & in Baal Hathurim id probant eo argumento, quod per Gematriam **נח ידך בנימטריא מילה** *idem valeat atque מילה circumcisio.* Verba sunt: **נח ידך בנימטריא מילה** *per Gematriam est circumcisio, quia jurarunt per circumcisioem.* Nescio an non eodem aurigetur Interpres Arabs, qui ita convertit: **אומי פרך אלי עהדי** *Annue manum tuam ad pactum meum.* Ubi per **עהדי** *pactum* videtur intelligere circumcisioem. Verùm cum omnium Judæorum communis olim fuerit sententia, in illo ritu fuisse magnam prophetiam, quod scilicet Christus Dominus celi & terræ in ea carne venturus esset, quæ de illo femore propagata est, uti loquitur S. Augustinus de Civ. D. lib. XVI. 33. Notum nempe est, Hebræos sicut per uterum & lumbos, ita etiam per femur significare generationem. Itaque apponere manum ad femur idem esse putant, ac jurare per Messiam, qui ex illo femore nasciturus erat. Ita Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Prosper, Teodoretus, alii. Pia fanè sententia. Genuina tamen an sit, dubito. Alias opiniones, quas fusè prosequitur Pererius Disp. 1. in Genes. XXIV. ultro prætereo. Nec certi quid dicere habeo, nisi fortè, quod ritus ille tum temporis receptus fuerit ad testandum obsequium & devotionem jurantium inferiorum erga superiores. Postulabat enim hoc Abrahamus à servo tanquam inferiore, & quidem ut usitatum quiddam & more receptum, quod explanatione nulla indigeret. Et consuetudinem receptam fuisse agnoscit etiam S. Chrysostomus hom. 47. in Genesin, sequenti argumento. **Καὶ ἵνα μάθῃς ὅτι σωηθείας πνός τῷ τοῦ γινόμενον, ὅσα αὐτὸν ἐπιτάλλοντα ἢ μὲν χεῖρα αὐτόδι ἐπιβῆναι, ὁ δὲ πνός δὲ ἐπαγαρόντα, ἐξαρκίσω στ. &c.**

&c. Ut discas, fuisse usu receptum, quod factum est, vide ipsum imperantem quidem ut manum illic superponeret, sed statim pergentem. Adjuro te &c. Sed & Josephus loco antea allegato innuere videtur, fuisse eam hoc ritu jurandi consuetudinem tum temporis passim usitatam. Eodem inclinat Abenezra, cujus verba sunt: והקריב אליה משה במים חמים לשום אדם ידו תחת ירך מי שהיא ברשותו והטעם אמר אתה ברשותי שים נא ירך תחת ירכי והאדון ישב והירך על היד כטעם הנה ידי תחת רשתך לעשות רצנך וזה המשפט עדיין הוא בארץ הודו Probabile mihi est, morem fuisse temporis ejus, ut jurarent posita manu sub femore ejus, qui dominus ac superior esset: perinde ac si ita diceret Dominus: si tu sub potestate meæ es, adeoque paratus ad jussa mea capeßenda, pone manum tuam sub femore meo, quo dicto Dominus ipse sedere solebat, posito femore sub jurantis manu. Qui autem jurabat, sic dicebat, Ecce manus mea sub femore tuo. Fateor me tibi obstrictum ad faciendum voluntatem tuam. Et hac consuetudo hodièque est regionum quarundam, nominatim in India. Putat igitur homagii signum fuisse, sedenti supponere dexteram. Hugo Grotius fatetur etiam, morem hunc jurandi manu supposita femori tempore Abrahami receptum fuisse, quasi dicerent: si fallam, ense tuo peream. Nam ad femur locus ensis, Jud. III. 16. 21. Psal. XLV. 4. Quidquid verò fiat de significatione ritus, id arbitror verisimile, fuisse hunc morem receptum tum temporis inferiorum jurantium erga superiores. Proinde servus Abrahami hoc modi adjuratus iter in Mesopotamiam auspiciò ingreditur. Quid porrò ibi effecerit, in historia Isaci explanabitur.

LXI. Post mortem Saræ & conciliatum Isaco matrimonium novas nuptias confecit Abrahamus cum קתורה Cethura, Gen. XXV. 1. Fuisse Cethuram hanc ipsam Hagarem, hætenus à domo Abrahami exulantem, & post mortem Saræ ab eodem revocatam, plerique orientales sentiunt. Ita Targum Jonathanis Ben Uziel ad h. l. ואוסף אברהם ונסכי אתה ושמח קטורה היא הגר הקטורה ליה מן שיריה Et addidit Abraham, & accepit mulierem, & nomen ejus Cethura. Hac Hagar est, quam antehac sibi ligaverat. Eodem ferè modo Paraphrasis Hierosolymitana: והיא הוה הגר והוה אסירה ליה מן שיריה Et fuit Hagar quæ antea ipsi ligata fuerat. Neque aliter Jarchius, cujus eam in rem verba adducemus: זו הגר ונקראת קטורה על שם שנאים מעשה בנקטורת ו שקשרה פתחה ו שפרשה מאברהם שלא נזרונה אדם מיום שפרשה מאברהם Ipsa Hagar erat, quæ dicta Kethura, quoniam opera ejus pulchra, ut Kethoreh seu suffitus, & quia occlusit ostium ita, ut viro nulli consociaretur, postquam ab Abrahamo separata erat. Sed & R. Eliezer cap. 30. Post mortem Saræ, inquit, reversus est Abraham, atque assumpsit repudiatam suam. Hinc dicitur. Et perrexit Abraham & accepit uxorem nomine Kethuram: Cur autem dicitur: Et perrexit Abraham? quia prius fuit uxor ejus. Egregia scilicet ratio. Potius contrarium colligitur, novum hoc fuisse conjugium, quia hæc phrasi respicitur ad prius matrimonium cum Sara initum. Sed & versus 6. in quo Abraham dicitur munera dedisse לבני הפילגשים filijs concubinarum, arguit, non solam Hagarem, sed plures omnino concubinas duxisse. Quam rationem meritò urget doctus Abenezra. Accedit quod 1. Chron. 1. 28. 32. non inter filios Cethuræ, sed seorsim numeratur Ismael, manifesto indicio, Cethuram matrem non fuisse Ismaelis, adeoque non Hagarem. Denique hoc ipso capite v. 12. ubi mentio est Hagaræ, ea non nomine Cethuræ quod necessum fuerat immutato nomine, sed Hagaris ancille Egyptiæ, venit. Ex qua verò gente oriunda fuerit Cethura, nihil scire attinet, cum Scriptura de eo sileat. Nam quòd Elmacinus eam facit ארממה filiam Regis Rama, Patricides אבנה בקטר מלך ארובה Filiam Paftar Regis Rabba; alii Cananaeam, parum moramur, cum nihil horum compertum sit. Si tamen Cananaea fuisset, credibile foret, educatam fuisse in familia Abrahami & Gynæcéo Saræ, proinde non infidelem.

LXII. Quòd verò Abrahamus jam decrepitis & capularis senex, ad nova Cethuræ haud dubie juvenulæ vota transit, id ad mysterium pertinere putat S. Augustinus quæst. 70. in Genesin, nec non de Civ. D. lib. XVI. 34. Sicut enim per Hagarem & Ismaelis posterios significata fuerit Synagoga & carnales Israelitæ V. T. ita per Cethuram & liberos

adumbratos esse homines carnales N. T. non tam re quàm professione Christianos, Quippe ambas appellatas esse concubinas : at Saram nunquam. Habere ergo muna filios concubinarum, sed non venire ad regnum promissum, nec hæreticos, nec carnales, quia præter Isaacum hæres nullus est. Mysterium etiam in eo agnoscit Origenes homil. 45. in Genesin, ubi censet, tali conjugio præfiguratum esse spirituale conjugium mentis humanæ cum sapientia, quod non fiat nisi inveterata jam ætate. Quomodo etiam Philosophus in 30. Sect. Problematum, probl. 5. πρεσβυτέρως μάλλον ἔχειν, in senioribus abundare mentem seu sapientiam ait. Hæc quamvis ingeniosè excogitata sint, & suum in applicatione usum habeant : tamen certiores illius rei causas esse puto, tum ut cumulatiùs impleretur magnifica promissio de multiplicando semine Abrahami, quæ semen non tantum promissionis, sed etiam carnis concernebat : tum ut haberet Abrahamus senex, à quo iam Isaacus matrimonio Rebeccæ innexus discesserat, sociam, quæ præcipuam gereret rationem senectutis ejus, & reliquæ familiæ curam susciperet.

LXIII. Cæterum Cethura apud Mosen venit nomine tum אִשָּׁה *uxoris*, tum פִּלְגֶשֶׁת *concupina* Genes. XXV. 1. 6. & 1. Paralip. 1. 32. Contra Sara quidem venit nomine אִשָּׁה *uxoris*, at פִּלְגֶשֶׁת *concupina* nunquam. Id quod etiam observatum S. Augustino de Civ. D. XVI. 34. Quæ sit ratio discriminis, quæritur. Elias Levita in Notis ad Davidis Kimchii Radices, radice פִּלְגֶשֶׁת fingit, פִּלְגֶשֶׁת esse uxorem dimidiatam, vocabulo composito ex פִּלְגַּ & אִשָּׁה hoc est, *uxore dimidiata*. Atque inde etiam derivat vocem Latinam *Pelleæ*, à qua est Græca πειλαία. Verùm id dilutum est. Plerique Hebræi uxores à concubinis distinguunt pactis dotalibus & sponsaliorum solennibus. In Gemara Hierosolymit. ad tit. Cetuboth cap. 5. ita habetur : נְשִׁים כְּתוּבָה וּבְקִדּוּשֵׁי פִלְגֶשֶׁת Uxores fiunt cum pactis dotalibus & sponsaliorum solennibus : concubinae neque his, neque illis. Id verò ut obtinuerit post legem : at ante Legem eam differentiam observatam esse minimè liquet. Quin potius hoc intercessisse discrimen solum videtur, quòd concubina quidem esset vera uxor, mutuo consensu delecta perpetua vitæ ac thori socia, sed quæ dignitatis longè minoris & obscurioris generis esset, quàm maritus. Unde nec liberi ex ea sublati hæreditatem adire poterant eandem, quàm uxor non concubina : Atque talis erat ancilla, cui nupserat herus. Non dissimile apud Germanos erat matrimonium impar ad Morgengabicam, de quo agit Hugo Grotius de Jure B. & P. lib. II. 5 : 15.

LXIV. Ex Cethura Abrahamus quamvis senex sustulit liberos, nimirum : אֶת זְמוֹרָה אֶת יִשְׁבָּק וְאֶת מְדָן וְאֶת מִדְיָן יִקְשָׁן וְאֶת מְדָן וְאֶת יִשְׁבָּק וְאֶת שׁוּר *Zivram, & Jakschan, & Medan & Midian, Iscak & Suab* Genes. XXV. 2. Cùm verò Abrahamus centesimo & quadragesimo præter propter aëno duxerit Cethuram, adeòq; extrema & fessâ ac decrepita senectute, mirum videri queat, ipsum adhuc liberos ex Cethura progenuisse. Imprimis cùm Apostolus Rom. IV. 19. ingentis miraculi loco prædicet, quòd Abraham centenarius demum, cujus corpus jam tum vocat νεκρωμένον *emortuum*, Isaacum filium promissionis genuerit. Pererius hæc ita conciliat, ut corpus Abrahami dicatur emortuum non absolute sed respectu Saræ jam yetulæ, nempe nonagenariæ, & insuper hucusque sterilis & effœtæ, ex qua proinde liberos generare non potuerit. At tale non fuisse respectu Cethuræ juveniculæ, in quo viror ætatis vigôrque integer supererat. Ante ipsum S. Augustinus de Civ. D. XVI. 28. id ita extulit : Hoc ergo est, quod mirum commendat Apostolus, & ad hoc dicit Abrahæ corpus jam fuisse emortuum, quoniam non ex omni femina, cui esset adhuc aliquid pariendi tempus extremum, generare ipse in illa ætate adhuc posset. Ad aliquid enim emortuum corpus intelligere debemus, non ad omnia. Nam si ad omnia, non jam senectus vivi, sed cadaver est mortui. Nos distinguimus inter id quod fuit *natura* & quod *gratia*. Naturæ respectu ejus corpus fuit effœtum & mortuum, si considerentur non solum ætas grandæva, sed & innumeri labores, molestiæ, peregrinationes

tionem, pericula, quibus Vir sanctus exhaustus, & attritus fuerat. At per gratiam & virtutem divinam in extrema fenestra vires ei aquilæ instar fuerunt restauratæ, juxta promissionem Jof. XL. 29. 30. 31.

LXV. Abrahamus porrò, cum diversi generis liberos haberet, hoc discrimine iis bona distribuit, ut solus Ifacus ex Sara natus, tanquam hæres Divina voluntate designatus, adiret hæreditatem לו אשר את כל אשר לו *omnium que habebat ipse*, adeoque tum juris hæreditandi terram promissam, quod præcipuum erat, tum bonorum quæ immobilium, quæ exigua erant, quæ mobilium, quæ erant minimè sane contemnenda: reliqui autem ex concubinis nati acciperent מתנות *munera*, talia nimirum, quæ cum hæreditate Ifaci collata vix umbra essent, Gen. XXV. 5. 6. Neque in eo peccavit Patriarcha, cum id omne fecerit inductus prævia voluntate Dei, & exempla non desint etiam legibus humanis confirmata, quibus non solum in liberis ex diversis uxoribus susceptis maxima in partitione bonorum inæqualitas servatur, sed etiam in iis, qui germani sunt fratres & ex uxore eadem sublatis. Pertinet huc etiam, quod liberos concubinarum יסלה מעל יצחק בעודו חי קדמה אל ארץ קדם *misit ab Ifaco, ipso adhuc vivente, ad Orientem, ad terram Orientis*, Genes. XXV. 6. Impii sunt in Abrahamum Hebræi, & inter eos Eliezer cap. 30. ubi Abrahamum filios hos ab Ifaco in hoc & futuro seculo repudiâsse, veluti libello inductus iis exhibito scribit. Et majori etiam impietate Jarchius ex Magistrorum suorum mente docet, Abrahamum filiis his inter מתנות seu *munera* illa tradidisse שם טומרה *nomen immunditiei*, hoc est, uti explicat in Sanhedrim, *impuri spiritus*, cujus ope Magiam exercerent. Quid sædius sanctissimo Patriarchæ tribuere possent degeneres hi filii, parentum suorum maculæ. Quin ipsum Abrahamum magum fuisse, quamvis artem nunquam exercuerit, docent. Sed mittamus impuros. Josephus Antiq. I. 15. & ex eo Hieronymus in Quæst. Heb. dicunt, filios hos concubinarum, authore Abrahamo, in varias regiones deduxisse colonias, eosque occupasse Troglodyticam regionem, magnam partem Arabiæ felicis, quæ ad mare Rubrum pertinet, imo eum qui Opher v. 4. nominatur, ab aliis Apher, profectum esse cum exercitu in Lybiam, eamque occupasse, ac à se Africam denominasse. Quam in rem Alexandrum polyhistorum & Cleodenum Prophetam, qui & Malchus dictus, auctores citat. Multa alia ibi narrantur, quæ pleraque probabilitatem omnino nullam habent. Tale est, quod Herculeum expeditionis illius locum facit, cum is non Abrahamo duntaxat, sed ipso etiam Mose recentior fuerit, teste Eusebio in præfatione Chronicorum, quod Troglodytica regio ab iis sit occupata, cum Troglodytæ in Africa ad meridiem potius & occidentem, quam orientem vergant: quod Opher Africorum primus occupaverit & denominaverit, cum Madian unâ cum liberis suis non Africam, sed potius Arabiam tenuerit; denique quod quidam Cethuræ filii penetrarint in ipsam Indiam, quod ipsum quoque verisimile non est. Merito igitur etiam Josephum hic pulsat Beroaldus Chron. lib. IV. p. 317. Cæterum in Scripturis quatuor potissimum Abrahæ & Cethuræ liberorum & nepotum mentio frequentior est, nempe Midian & ejus filii Epha, nec non duorum filiorum Jofchan, nempe Seba & Dedan. A Midian rectè derivat Hieronymus urbem Midian, sitam trans Arabiam ad Meridiem, in deserto Saracenorum contra orientem maris Rubri. Unde etiam vocatur Midianæa regio. Sed perperam eam regionem Midian, ex qua Moses uxorem duxit, ab hoc Midiane propagatam idem negat. Quamvis enim duplex fuerit Midian, quia tamen utraque in Arabia sita fuit, nihil obstat, quod minus utramque ab eodem auctore derivemus. Quod etiam fecit Origenes homil. 2. in Genesin. Epha posteros inter hos ipsos Midianitas habitasse, & tempore adhuc Esaiæ id nominis obtinuisse, argumento esse potest locus Esai. XXX. 6. Seba habitavit in ipso aditu Arabiæ Felicis prope Nebatæos, ut ex Strabone docet Magnus Bochartus Phal. lib. IV. 9. Homeritas cum Sabæis his eosdem faciunt Philostorgius Cappadox lib. III. 4. Procopius Gazensis & vetus author apud Surium, quem citat Baronius ad annum 522. Unde eos octavo die

circumcidi quamvis aliàs Soli, Lunæ & indigenis dæmonibus sacrificent, narrat idem Philostorgius. Etiam Uranius primo Arabicorum eosdem facit Homeritas cum Sabæis. Vide Notas doctissimi Gothofredi ad Philostorgii lib. III. 4. Sed confundunt illi Sabæos ex Joctane & Abrahamo oriundos. Denique *Dedan* originem dedisse videtur *Dedan* urbi Idumææ mediterraneæ, de qua agitur Jerem. XXV. 23. & XLIX. 7. cujusque incolæ vocantur דדנים *Dedanim* Esai. XXI. 13.

LXVI. Mors Abrahami, ut ad eam tandem veniamus, describitur his verbis apud Mo-
fen: ויגוע וימת אברהם בשיבה טובה זקן ושבע *Et defecit ac mortuus est Abraham in senectute bona, senex & satur.* Genes. XXV. 8. Quod non simpliciter mortuus dicitur, sed מלת ויגוע *deficiens* seu expirans & mortuus, id R. Solomon Jarchi ideò factum putat, quia Moses innuere voluerit, mortem ejus fuisse mortem justî, cum vox illa ויגוע non nisi de morte justorum accipiatur. Verùm refellit eum, quòd de iis, qui in diluvio perierunt, eadem vox usurpetur Genes. VII. 21. Neque scio, an rectius Abenezra, eumque secutus Kimchius hoc explicet de morte subitanea. Verba Abenezræ sunt: מלת ויגוע צאת הרוח מהגוף רגע אחד בלי ענוי ועכוב והנה כל גיועה מיתה ואין כל מיתה גיועה על כן כתוב במבול ויגוע: *Vox ויגוע notat exitum spiritus è corpore factum uno momento sine dolore & afflictione. Et ecce omnis גיועה est מיתה sed non vicissim. Propterea scriptum est in diluvio, ויגוע & expiravit.* Probabilius mihi, significari piam placidamque mortem, dulci somno non absimilem: Qualem mortem sibi suisque precatus est, & ὡφρασίως nomine insignivit Augustus, teste Suetonio in vita ejus cap. 99. Egregiè Cicero de Senectute: *Quid est tam secundum naturam quam Senibus emori? quod idem contingit adolescentibus, adversante & repugnante natura. Itaque adolescentes sic mihi mori videntur, ut cum aque multitudinem flamma vis opprimitur: Senes autem, cum sua sponte nulla adhibita vi consumptis ignis extinguitur. Et quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, avelluntur, si matura & coacta decidunt: sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas: que mihi tam jucunda est, ut quò propius ad mortem accedam, quasi terram videre videar, aliquandoque in portum ex longa navigatione esse venturus.* Quod mortuus dicitur בשיבה טובה *in senectute bona*, id Drusius interpretatur de senectute, quæ illis incommodis minime obnoxia, quæ ætati ei communiter adjuncta sunt. Sic Vatablus: *Bona, id est, que aliena erant à malis, & incommodis senectutis.* Malim cum doctissimo Lud. de Dieu intelligere simpliciter maturam, plenam, magnam senectutem. Unde statim sequitur, velut explanationis vice, quòd fuerit זקן ושבע *senex & satur.* Et apud Syros טוב cum adverbialicit, intensiorem significat, ac vertitur *magnopere, valde, vehementer.* Quamvis igitur senectus per se morbus sit, bona tamen dici potuit, quia perfecta. Meritò enim bonum dicitur, quod rei continet perfectionem, etsi alia ex accidenti admixta mala habeat.

LXVII. Cur Abrahamus moribundus non benedixerit Isaco, sicut Isacus Jacobo, & Jacobus filiis, quærit Boulducus *de Eccl. ante legem.* lib. III. 7. Rationem ejus rei reddit, quòd cum Isac filius benedictionis esset, in quo omnes gentes benedictionem accipere debebant, quique tot modis ac privilegiis illustris apud Deum, multifariam Christum filium Dei naturalem repræsentaturus erat, at in hoc maximè, quòd esset summus Pontifex & Sacerdos secundum ordinem Melchisedeci, non potuerit proinde Abraham Isaacum, sicut Isac Jacobum frumento & vino stabilire, eò quòd non esset Sacerdos secundum ordinem Melchisedeci, sicut erat Isac, qui hoc Sacerdotium acceperit ante mortem Abrahami. Hanc suam opinionem Monachus vocat *simplicem*: ego *compositam* & confuso tam ex meris figmentis. Unde enim constat, Isaacum Sacerdotem fuisse secundum ordinem Melchisedeci, cui Scriptura non alium successorem dat quàm Christum? unde constat, Melchisedeci, sacrificium in pane & vino administratum esse? unde constat, ejusmodi Sacerdotium Abrahamum vel Melchisedecum ante mortem transfuisse in Isaacum? unde denique constat, Abrahamum Isaco non benedixisse? Quin potius benedixisse ei innuit Moses, cum ait, dedisse Abrahamum Isaco, nempe paulò ante mortem,

omnia quæcunque habebat, hoc est, hæredem eum instituisse tum eorum, quæ Abrahamo divinitus promissa erant, tum quæ jam possidebat, Genes. XXV. 5. Qui dubitet, eum adjunxisse benedictionem tum, cum benedictionis Divinæ hæredem declaravit?

LXVIII. Defuncti Patriarchæ corpus sepultum est ab Isaco & Ismaële in spelunca Macpelah, in qua antea uxorem Saram ipse Abrahamus condiderat. De quo ita Moses: *וַיִּאֶסְפוּ אֵל עַמּוּ וַיִּקְבְּרוּ אוֹתוֹ* Et aggregatus est ad populum suum: & sepelierunt eum Isac & Ismaël filii ejus in spelunca Macpelah, in agro Ephron &c. Genes. XXV. 9. De populo illo, ad quem aggregatus dicitur Abrahamus, Philo Judæus in libro, *Quis rerum Divinarum hæres sit*, multa differit, Stoica potiùs & Platonica, quàm doctrinæ cælesti consona, quæ proinde digna consideratione non judicamus. Augustinus quæst. 268. in Genesin populum interpretatur *populum illius Civitatis, que de Cælo est Hierusalem*, de quo Paulus Hebr. XII. 22. 23. adeoque sanctos Cœlites tum homines tum Angelos. Eandem sententiam tuentur Magister Historiæ Saholaisticæ cap. 114. super Genesin, Glossa Interlinearis & Tostatus. Lyranus eam interpretationem refutat hoc argumento, quòd ante Christi adventum nullus justorum post hanc vitam ascenderit in Cœlum, nec in Cœlestem patriam & Societatem Angelorum receptus sit: sed potiùs in Limbum. Sic igitur tacitè agnoscit, Augustino limbum Patrum incognitum fuisse. Paulus Burgenfis Episcopus, ut Augustinum Pontificio limbo conciliet, pertendit Patres posse dici congregatos ad Societatem Angelorum, quòd licet illi non essent in Cœlis, una cum Angelis, tamen in ipso Limbo, ubi erant, frequentissimè visitarentur ab Angelis. Quam Augustinianæ sententiæ explicationem agnoscit *per infirmam & levem admodum*, cum societas Angelorum non sit nisi ea, quæ in Cœlis est. *Alius, inquit, etiam Viri Sanctissimi, qui tum in terris versabantur, frequentissimas habuere visitationes Angelorum, etiam nunc possent dici aggregati ad societatem Angelorum.* Manet igitur, Augustino visum non esse, quòd Abrahamus descenderit in Limbum. Lyranus, eumque sequuti Rupertus, aliique exponunt *populum* istum de justis omnibus, quicumque inde ab exordio mundi fuerunt in limbum recepti. Nos alibi demonstramus, Abrahamum post mortem non in limbum, sed in Cœlum receptum esse. Quòd igitur Abrahamus dicitur ad populum suum congregatus, usitato Hebraismo significat, eum in hac terra vivere desiisse, & ad plures abivisse, quòd Scripturâ aliàs etiam vocat *ad Patres suos adire*. Cæterum ea phrasis emphasi & mysterio non caret, quippe quæ immortalitas animæ, observantibus etiam Hebræis quibusdam & Cajetano, insinuatur. De bestiis nunquam dicitur, quòd congregentur ad populum suum, sed de solis hominibus tum piis tum impiis. Notatur igitur hac locutione, per mortem non redigi homines in nihilum, nec totum hominem mori, sed animam recipi ad populum suum, vel in Cœlo vel in inferno existentem.

LXIX. Christus Luc. XVI. 23. mentionem facit τὸ νόκτων *sinuum*, seu *sinus* Abrahæ, in quò Lazarus post mortem suam quievit. De eo, quia paulò prolixior requiritur explicatio, seorsim Σ. Θ. agemus.

LXX. Sic Abrahami tum viventis tum morientis historiam reddidimus. Quæ de eo nugantur passim Hebræi, cum Scriptura non nitantur, ultro transmittimus. Sed & Muhammedani temerè multa de eo fingunt. Talia sunt, quòd nativitas ejus fuerit miraculosa, teste Kessæo; quomodo etiam miracula multa Abrahamo infanti contigisse narrant Hebræi apud doctissimum Vorstium in Notis ad Pirke Eliezer, pag. 190. 191. quòd *לא יהודי ולא נצראנית ולכן כן נניפה מסלמה* neque Judæus, neque Christianus, sed Chanisæus, (hoc est voc: Syriaca hypocrita, vel idololatra juxta Isa Bar Ali) *Miselmannus* fuerit, uti asserit Surata de Abrahamo: quòd cum Nimrodo disputaverit de unitate Dei & mortuorum resurrectione teste Surata. 2. & Kessæo: quòd relicta Pa-

tria Meccam concesserit, ibique Meccani templi priora fundamenta posuerit, teste eadem Surata & Kessæo: aliâque ejusmodi plurima, quibus Alcoranus refertus est.

LXXI. Sed & scripta ac libros integros Abrahamo affingunt tum Hebræi tum Christiani quidam. Et Hebræi quidem ei adscribunt librum יצירה *Creationis*. De quo ita Author Cosri p. m. 301. 302. ספר יצירה והוא אברהם אבינו והוא עמוק ופירושו ארוך. סודה על אלוה ואחדותו בדברים מתחלפים מתרבים מצד אבל הם מתאחדים: נסמכים מצד אחר: *Liber Fezira Abrahami Patris nostri, qui est profundus & requirit longam explicationem, docens de Deo & unitate ejus, verbis respectu uno variis, & multiplicibus, respectu verò altero unitis & eodem tendentibus.* Antiquum esse librum vel inde constat, quòd ejus Thalmudici meminerint. Allegatur in Gemara Codicis Sanhedrin. cap. VII. 9. ubi dicuntur R. Chanina & R. Hoschaja pridie Sabbathi soliti legere בספר יצירה in libro Fezira. Cæterum Abrahamo authore editum esse, non defunt inter ipsos Judæos qui inficiuntur. Ita Abraham Zachut in libro Juchasin pag. 52. aperte νοθείας eum postulat. Et Præfat. 11. מן התיר לרבי עקיבא לכתוב ספר יצירה מאברהם: *Quis dedit potestatem R. Aquiba scribendi librum Fezira nomine Abrahami Patris nostri?* Sed & inter Christianos veteres professos hæretici Sethiani venditarunt Apocalypsin Abrahami, teste Epiphanio in primo Panarii. Quin & Origenes homil. 35. in Lucam allegat testimonium ex Scriptura Abrahami Apocrypha, in qua inducuntur Angeli iniquitatis & justitiæ, de salute & interitu Abrahami disceptantes. Denique in Synopli Athanasii, liber, qui *Assumptio Abrahami* dicitur, inter rejectos numeratur. Nos spurios ejusmodi factus relinquimus illis, qui amant prensare, quod ajunt nubem pro Junone, statuam pro Davide, umbras montium pro militibus.

LXXII. Abrahami meminerunt antiquissimi post Mosen scriptores exotici, amplissimis elogiis eum exornantes. Berosus eum ita circumscribit apud Josephum & Eusebium de præparat. Evangel. lib. IX. 16. Μετὰ τὴν κατακλυσμὸν δεκάτῃ ἡμερᾷ ὤρθη ἡ Χαλδαίσις τις ἐν δίκαιᾳ ὄνῃ καὶ μέγας, καὶ τὰ ἑσθία ἔμπερο. *Circa decimam post diluivium atatem Vir quidam apud Chaldeos vixit summa cum integritate morum, tum etiam dignitate, rerumque Cælestium cognitione præditus.* Hecatæus non ejus duntaxat meminit, sed integrum etiam de eo volumen, si credimus Josepho, scripsit. Nicolaus Damascenus libro quarto historiarum scribit, eum ex Chaldæa profectum regnâsse Damasci, inde mutatis sedibus in Cananæam cum suis concessisse. Quin & in Damascena regione vicum esse Ἀβραάμης οἰκησιν λεγομένῳ, *Abrahami domicilium nuncupatum, recenset.* Memorat etiam ejus profectionem in Ægyptum, ubi Sacerdotum Ægyptiorum errores valde refutaverit, adeo ut in quotidianis mutisque congressibus tanquam sapientissimum, & ad persuadendam Veritatem potentissimum suspicerent. Quin & Arithmeticam & Geometriam eum Ægyptios liberaliter docuisse. Sed & Alexander Polyhistor in historia Judæorum allegat testimonium Eupolemi de Abrahamo referentis, quòd Camarine Babylonix Civitate natus, paulatim nobilitate ac sapientia omnibus anteiverit, inde in Phœnicia fixo domicilio, Phœnices Solis Lunæque conversiones, ac reliqua id genus omnia docuerit: Phœnicix Regem bello adjuverit, & in eo nepotem suum liberaverit, indeque à Melchisedeco Dei Sacerdote dona acceperit. Recitat idem Abrahami profectionem in Ægyptum, raptum Saræ, aliâque ejusmodi, quæ allegata tum apud Josephum, tum apud Eusebium reperias. Præterea Artapanus in rerum Judaicarum historia Abrahami meminit, eumque in Ægyptum cum universa familia ad Pharethonem se contulisse, ac ibi viginti integros annos mansisse. Melo etiam qui adversus Judæos scripsit, non dissimulat Abrahamum sapientiæ laude inclytum fuisse. Narrat etiam ipsius conjugia, & natum ex legitima uxore unicum filium, ὃν ἔκλεοντο γέλωτα ὀνομασθῆναι, *cujus nomen apud Græcos risum sonet.* Meminit idem immolationis Isaci. Hæc ex Alexandro Polyhistoro excerptis Eusebius loco citato. Videtur etiam Orpheus indigitâsse Abrahamum hisce versibus:

Ἐἰ μὴ μονογενὴς πρὸς ἀπὸρρώξ φύλας αἰώθεν
 Χαλδαίων. ἴδεαι γὰρ ἔγω ἀστροιο παρθέης &c.

Unus eum imperio mortalia fata regentem

Nōsse aliquis potuit Chaldaeo à sanguine cretus. &c.

Ubi Abrahamus *μονογενής* sic dicitur, ut apud Esaj. LI. 2. *רַחֵם* si credimus Hug. Grotio de Ver. Relig. Christ. in Notis p. 114. Verisimilius tamen mihi, quod censet Scaliger, *μονογενής* dictum esse καὶ παρὰ χεῖρα σκῆρας, cum ejus filius, non ipse fuerit *רַחֵם* unigenitus. Ex Philone Biblio, Sanchoniathonis interprete quædam nobis de Abrahamo servavit idem Eusebius de Præp. Evang. lib. IX. 20. Circumcisionis mandatum Abrahamo Divinitus datum etiam Theodorus docuit in carmine de Judæis. Denique Porphyrius in Libro *Ἐπιπέδαίων*: Saturnus narratur ex nympha indigena Ἀνωβρεῖλ, *Anobrel*, filium habuisse unigenitum, ὃν *Αἰγύπτου* Ἰεὺδ ἐμάλην ἢ *μονογενὴς ἕτως ἔπῃ καὶ νῦν καλεσμένον* ὡς δὲ τοῖς Φοίνιξι, quem propterea *Jeud* vocabant, cum hodieque unigenitus à Phœnicibus ita appelletur. Ubi Ἀνωβρεῖτ *Anobreth*, seu *רַחֵם* ex gratia concipiens, est Sara, & *Jeud* est *רַחֵם* Isaci Epitheton Genes. XXII. 2. Proinde Saturnus ille idem qui Abrahamus, quem ex *נשיא אלהים* Principem Dei Genes. XXIII. 6. fecerunt Chananæi *Principem Deum*. Unde Saturnum hunc referunt Sanchoniathon & Porphyrius filium suum maçtasse. Atque sic aliquatenus impleta est Dei promissio Abrahamo facta Genes. XII. 2. *מגדלך אגדלך* magnificabo *no-*
men tuum.

EXERCITATIO QUARTA DE RAPTU SARÆ GEMINO. Breviarium.

Raptus Sara geminus distinguitur: 1. Consilium Abrahami suppeditatum Sara sub initium introitus in Ægyptum. 2. Qui Sara jam vetula à pulchritudine commendari potuerit? Abenezra aliorumque conjectura. 3. An Abrahamus Saram inducens, ut pro sorore ejus se venditet, impostura argui possit? 4. An consilium illud suppeditatum Sara vacaverit omni culpa, disceptatur. Rejete sententiæ tum eorum, qui Abrahamo tanquam lenoni insultant, tum eorum, qui factum ejus excusant planè, vel laudant. Ostenditur, eum nec prostituisse uxorem, nec mala fide egisse sed ex infirmitate fidei carnali prudentia usum ad vitæ suæ ac pudicitie Saræ cautionem. Calvinus a Jesuita Abrahamo defensus. 5. Raptus Sara in Ægypto. Josephi, Eusebii, Hieronymi narrationes de nomine Pharaonis examinantur. Pharaonem Ægyptiaca & Arabica voce denotare Regem. Pharus Insula unde sic dicta? Mos antiquus rapiendi feminas apud Ægyptios & Græcos exemplis illustratur. 7. Benevolentia Pha-